

[illegible]

ܟܠܗ ܡܬܟܬܒܢ ܕܟܠܗ
ܒܡܠܟܐ ܘܐܠ ܦܘܠ
ܥܠ ܕܐܬܝ ܫܡܗ:
ܠܗܘܐ ܢܩܘ ܕܐܠܗܘ
ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ ܢܛܘ
ܒܥܢܢܐ ܗܘܐ ܢܘܗܪܐ
ܗܘܘ ܙܒܢܝܢ ܠܗܘ:
ܗܢܘܢ ܗܘܝܘ ܢܣܒܘܢܐ
ܘܒܢܝܐ: ܢܦܠܘ ܒܥܡܠܐ
ܠܡܠܟܐ: ܕܕܚܠܬܐ ܗܘܐ
ܥܠܬܐ ܘܥܕܘܬܐ ܗܘܐ ܕܐ
ܗܘ ܐܦܝܬܐ ܗܢ ܕ
ܕܡܒܪܟܐ ܠܐܒܪܟܐ:
ܘܩܘܠܐ ܗܢܘ ܗܠܝܢ ܕܢܠ
ܒܗ: ܡܬܒܢܝܢ ܫܡܝܐ
ܘܡܬܒܢܝܢ ܗܘܢ ܐܦܝܬܐ
ܗܢܐ ܕܡܒܪܟܐ ܠܫܡܝܐ
ܘܫܒܚ ܗܢܘ ܗܠܝܢ
ܕܡܫܬܒܚ ܫܡܗ: ܗܘ
ܒܠܘ ܡܢܕܥܐ ܕܠܐ
ܗܠܝܢ ܕܐܠܗܐ ܠܥܠܡ

ܗܢ
ܒܐܢ
ܗܘ
ܗܢܝ
ܗܝܢ
ܗܘ: ܒܢ
ܐܬܪܐܒ
ܐܡܕܐ
ܗܘܬܒܢ: ܠܗ:
ܐܠܗܐ ܕܐܠܗܐ
ܐܠܗܐ ܕܥܠ
ܗܘ ܗܢܘܢ ܕܐܠܗܐ
ܒܟܠܗ: ܫܠܡܐ

EVANGELIARIUM HIEROSOLYMITANUM

EX CODICE VATICANO PALÆSTINO

DEPROMPSIT EDIDIT LATINE VERTIT

PROLEGOMENIS AC GLOSSARIO ADORNAVIT

COMES FRANCISCUS MINISCALCHI ERIZZO

TOMUS PRIMUS.

VERONÆ
APUD VICENTINI ET FRANCHINI
1861.

135464

PROLEGOMENA

Dum sexdecim abhinc annis Romæ degerem, Orientalibusque litteris operam darem, veterum thesaurorum ille fossor, Italiæque nostræ lumen et decus Clarissimus Angelus Maius S. R. E. Presbyter Cardinalis ὁ νῦν μακαρίτος consilium dedit Codicem Vaticanum, inter Syriacos XIX, Latina versione, illustrationibusque adornatum in lucem proferendi.

Singulari benignitate, facultate mihi concessa Codicem exscribendi, statim arduum conamen libenter aggressus sum, nec plurimarum difficultatum, aut longi laboris pertæsus, tandem opus absolutum dedi.

Primus illum laudaverat Cl. Josephus Assemanus [1] in Catalogo Codicum MSS. Bibliothecæ Vaticanæ hisce verbis: *Codex antiquus in quarto, membraneus, foliorum* 196, *litteris Syriacis, Palæstinis exaratus, inter Codices Vaticanos olim XI, quo continentur Evangelia Eglogadia, sive Lectiones Evangeliorum per anni circulum, a Dominica Resurrectionis usque ad Sabbathum Sanctum inclusive: item Lectiones de Resurrectione Domini; demum Lectiones in Festis Sanctorum a mense Septembri ad Augustum, juxta Ritum Syriacum Græcorum, Melchitarum. Et Le-*

[1] P. I. T. II. p. 70.

ctiones quidem Evangelicæ sunt versionis et dialecti Syriacæ Palæstinæ, sed tituli Lectionum sermone Arabico, litteris tamen Syriacis Palæstinis descripti. Codex proinde perrarus, imo in toto terrarum orbe, ni fallimur, unicus. Hujus enim Syriacæ Versionis, et characteris Palæstini, neque exemplar aliud in Bibliothecis extare adhuc comperimus, neque ullus Syrorum, Græcorum, aut Latinorum Auctorum mentionem ejus facit. Adcedit ad inæstimabile ejusdem Codicis pretium, quod inter Evangelicas Lectiones ad diem VIII Octobris in Festo S. Pelagiæ Pœnitentis, Historia Adulteræ legitur: item fol. 109 *duo illa commata Lucæ Cap. XXII.* 17, *et* 18. *in hoc Codice habentur, quæ in Vulgata Syrorum Versione, et in plerisque Thomæ Heracleensis Versionibus desiderantur.*

Quamvis nec ullus quidem ex locis vexatis absit, tamen Evangeliarium nostrum integrum continuumque textum non continet; indices vero commata, quæ desiderantur, demonstrabunt.

Assemanus autem Codicis præstantia motus, singulas Lectiones describere, ut Ecclesiasticus ejus temporis in Palæstina ritus dignosceretur, titulos Arabicos in corpore Codicis, Syriacos, vel Arabicos ad marginem singularum fere paginarum adpositos exhibere, una cum singularum Lectionum initiis Latine interpretatis, consulto operæ pretium duxit subjicere. Demum in Lectione prima Evangelii Sancti Joannis ejusdem specimen cum versionibus Pscittha, vel Simplici et Heracleensi comparatum, Latinaque interpretatione illustratum exhibuit. Quum autem sine dubio plurimis negotiis districtus opus amanuensi satis imperito aut indiligenti demandarit, pluribus mendis scatet, quas viro illi doctissimo, et in hac Orientalium linguarum provincia sui ævi facile principi, tribuendas non esse censeo.

Quum autem pæne omnia exemplaria sui Catalogi infausto incendio combusta essent, adeo ut nunc perrara sint, iterum Codicem diligenter describere utilissimum fore putavi.

Paullo post J. G. Christianus Adlerus in suis Novi Testamenti Versionibus Syriacis [1] denuo illum expendit satis accurate, sed aut perfunctoria Codicis perlustratione impeditus, aut non satis Syriacis et Arabicis litteris imbutus, modice Codicis præstantissimi lectionem, ætatem versionis, verborum significationem et indolem assecutus est. J. David Michaelis hanc versionem breviter laudavit, judicio tamen abstinuit, donec accuratius perlustrata fuisset, aut potius integra typis pervulgaretur. [2] Qui postea ejus meminerint nostri ævi scriptores, Adleri sententiam ejus nominis auctoritate secuti sunt.

Nunc autem de Codicis nostri præstantia, idiomate, familia, ritu, et tandem de versione nostra pertractandum est.

I.

Codicis Descriptio

Codex hic eximius, et præstantissimus inter Syriacos Vaticanos olim XI, nunc XIX, membraneus, formæ quæ dicitur quartæ minoris, folia CXCVI, paginis in binas columnas divisis, complectitur. Apographum esse, ut Adlerus declarat, ortographiæ inconstantia, menda [3]

[1] Havniæ 1789.

[2] Michaelis, *Intr. au N. Test. trad. par Chenevière* Ed. IV. T. I. p. 568.

[3] ܕܐܬܘܢ pro ܕܐܬܝܡ Matth. VII. 15. p. 117. ܠܘܒܚܣܘܢ pro ܠܘܒܣܘܢ Matth. V. 11. p. 113. ܐܠܠܡ pro ܐܘܠܡ Matth. XXVIII. 11. p. 403, et alia plura.

præsertim in vocibus difficilioribus, et obsoletis, verborum, et interdum elocutionum omissiones ob ὁμιοτελευτον procul dubio ostendunt, quum amanuensis magis calligraphiæ quam diligentiæ laudem meritus sit. Est enim ductus et forma litterarum antiquæ venustatis, et admirandæ elegantiæ, et ab uno librario tantum exaratum esse, ex scribendi modo et ratione manifeste patet. Quamvis autem Codex noster initio tantum sæculi XI descriptus sit, tamen longe antiquioris ævi archetypi nobis exemplar extat. *Adcedit ad incæstimabile hujus Codicis pretium*, ut verbis utar Assemani, quod unicum nobis in toto terrarum orbe veterum characterum Palæstinorum specimen exhibeat.

Horum forma haud procul a Syrorum scriptura, quæ vulgo *Estranghela* [1] appellatur, distat, sed ad Hebræorum litteras aliquantulum accedit. Singulare nobis exemplum præbet, quod *Dolath* plerumque puncto diacritico careat; illud enim huic litteræ Syri constanter supponere solent, sed antigrapharius noster τῷ *Risch* imposito semper adpingit, et *Phe*, eo quod una tantum forma apud Hebræos et Syros gaudeat, prout τοῦ F aut P potestatem habet ad diversitatem pronunciationis indicandam, binis litteris distinguit. Litteræ ܬ݁ *Thau*, ܟ݁ *Coph*, ܓ݁ *Ghomal* ad illarum adspirationem significandam puncto superno adornantur, quod hodierno Syrorum ܪܘܟܟܐ *Ruchoch*, Hebræorum רפה *Raphè* respondet, ut sonum reddant Arabicarum litterarum ث *Tha*, خ *Cha*, غ *Ghaim*, sicut luculentissime demonstratur in titulis lectionum Arabico idiomate, rudiore Minerva, conscriptis, litteris tamen Palæstinis.

[1] A græca voce στρογγύλος *rotundus*, aut potius ab arabicis سطر الانجيل scriptura Evangelii, quia Aramæi hac in Evangeliis exarandis utebantur. Assem. *Bibl. Or*. T. I. p. 561. Adler, l. c. p. 5.

Ut patet ex inscriptionibus *Garsciunicis*, [1] e quibus duæ in fronte, et tertia ad calcem Codicis, Assemani ætate reperiebantur, (harum prior nunc desideratur) [2] Codicem nostrum exaravit Presbyter Elias el-Abbudi in monasterio Abbatis Mussa, in civitate Antiochiæ Palæstinæ, anno Græcorum MCCCXLI Christi 1030. Quum postea nostri apographi auctor, ex discipulo et monacho cœnobii Abbatis

[1] Codices Arabici Syriacis litteris exarati *Garscionici*, aut *Garsciunici* vulgo nuncupantur. Hoc nomen illis devenit vel a Syro quodam nomine *Garscium* ex Mesopotamia oriundo, quem post invectam in maritimas Syriæ Provincias a Saracenis Arabicam linguam, primum hac scribendi ratione usum fuisse adfirmant Gabriel Sionita, et Faustus Naironus in Præfatione Novi Testamenti Syriaco-Arabici Romæ typis S. Congregationis de Propaganda Fide A. 1703 editi; vel, quod nobis verisimilius est, a voce ܓܪܫܘܢ *Garscion*, quæ *adventitium* sonat, idest *Exotici*, ac *Peregrini*. Assemani, *Bibl. Ap. Vat. Codd. MSS. Cat.* T. II. p. 23.

[2] En inscriptio ab Assemano nobis servata, quæ nunc desideratur. ܐܩܘܠ
ܐܢܐ ܐܒܘ ܐܠܝܐ ܐܠܩܣ ܬܠܡܝܕ ܐܒܘ ܡܘܣܐ ܐܠܕܝ ܟܬܒܬ ܗܕܐ ܐܠܐܢܓܝܠ
ܘܠܥܝܕ ܐܠܐܟܒܪ ܘܐܠܩܝܡܗ ܘܣܬܗ ܡܥܐܝܢ ܒܪܣܡ ܐܠܟܢܝܣܗ ܐܠܡܩܕܣܗ
ܘܩܦܬ ܐܠܟܬܒ ܐܠܕܝ ܥܠܝ ܡܥܝ ܡܢ ܐܢܛܟܝܗ ܐܠܥܪܒ ܘܩܦܐ ܐܠܡܢܣܘܒ ܡܪ،
ܐܠܝܐ ܐܠܡܥܪܘܦ ܒܟܘܟܒ ܐܠܕܝ ܥܡܪܬܗ ܒܡܐܠܝ ܥܠܝ ܐܢ ܝܟܘܢ ܗܕܐ
ܐܠܐܢܓܝܠ ܘܐܠܟܬܒ ܠܡܢ ܝܣܟܢ ܐܠܕܝܪ ܝܩܪܐ ܦܝܗܐ ܘܝܕܥܘ ܥܠܝ ܐܢܐ ܐܠܟܐܛܝ
ܘܠܐ ܝܚܕ· ܠܗ ܣܠܛܢܗ ܠܐ ܝܒܝܥ ܘܠܐ ܝܫܬܪܝ، ܘܡܢ ܥܡܠ ܓܝܪ ܕܠܟ ܝܟܘܢ
ܡܚܪܘܡ ܡܦܪܘܙ ܡܢ ܐܠܠܗ. ܪܚܡ ܐܠܠܗ ܡܢ ܩܪܐ ܘܡܢ ܟܬܒ ܐܡܝܢ ܐܡܝܢ
Dico ego Abbas Elias Presbyter, discipulus Abbatis Mosis, qui scripsi hoc Evangelium, et libros Festorum et Resurrectionis, et sex Menæi Codices pro Sanctæ Ecclesiæ ministerio: me, scilicet, hunc Codicem, et reliquos libros, quos mecum ex Antiochia Arabum attuli, ex legato donare Monasterio Sancti Eliæ, Chaucaba adpellato, quod ego ipse extruendum curavi: ut hoc Evangelium, et reliqui libri in usum cedant eorum, qui præmemoratum Monasterium incoluerint, et pro me peccatore preces fuderint. Nemini autem potestas esto, eosdem libros vendendi, aut emendi. Qui secus fecerit, anathematizatus, et a Deo segregatus esto. Misereatur Deus eorum, qui legerint, et scripserint. Amen, Amen.

Mosis Abbas Monasterii Mar Eliæ in Chaucaba [1] renuntiatus esset, hoc Evangelium, et libros Festorum et Resurrectionis, et sex Menæos, et reliquos Codices, quos ex Antiochia Arabum attulerat, Monasterio Mar Eliæ Chaucabæ, quod extruendum curaverat, ex legato donavit: eumque adtribuit usui monachorum illic immorantium, et unicuique potestatem eosdem libros emendi aut vendendi perpetuo sub anathematis pœna interdixit. Quomodo autem, aut quando ad Vaticanam Bibliothecam Codex hic advectus fuisset, nec mihi nec aliis compertum est.

Recentiore autem ætate, barbara et inscia manus litteris decoloribus, et pene evanescentibus novum fuliginis atramentum superinduxit, non modo admodum negligenter, sed puncta diacritica, et alias particulas, præpositiones, ac verba sine ullo discrimine addidit, et has singulares et venerandas reliquias irreverenter deturpavit. Nonnullæ autem paginæ exitio elapsæ, et a profano censore illæsæ, quæ ratio calligraphiæ et ortographiæ ab origine fuerit, testantur.

Puncta diacritica perrara, aut potius nulla occurrunt, juxta consuetudinem ab illorum usu abhorrentem, quæ vulgaris apud Aramæos erat ante sæculum VII a nativitate Christi. Quum autem atramenti colore impium opus alterius manus dignoscere facile sit, antiquam lectionem typis vulgavi; vocesque inter lunulas inclusæ additiones recentiores ostendent.

In titulo lectionum ad fol. 1, ut recte advertit Assemanus, librarius Joanni Baptistæ *pericopæ*, quæ sunt Joannis Evangelistæ, crasso errore tribuit. Deinde præter titulum *Garsciunicum* in corpore Codicis descri-

[1] In inscriptionibus ad calcem Codicis p. 579 trifaria varietate scriptum invenio ܟܘܟܒ, ܟܘܟ̈ܘ, ܟܘܟܘ. Ubi autem hoc monasterium extiterit, ignoro.

ptum, calligraphus alterum interdum Syriace, interdum Arabice ad marginem singularum fere paginarum adposuit; quem prætermittere non potui, sed typis fideliter mandare operæ pretium fore duxi ad Codicis integritatem evulgandam, et ad illius temporis Palæstinæ ritum illustrandum.

Ad folium Codicis 38, quod p. 117 editionis nostræ respondet, ubi puncta occurrunt, dimidium folii excidit, aut impia manus avulsit.

In calce lectionis primæ Marci, ad festum Sancti Theodori, hujus imago circulo inclusa crucis figura ornata occurrit.

Postrema autem pagina prius ab eodem librario Anba Elia sine divisione perpetuis lineis exarata fuit, sed postea quum eum operis pœniteret, a ceteris dissimilem abrasit, atque iterato binis columnis rescripsit.

II.

De Idiomate

De Codicis nostri idiomate acturus, ad illius ætatem decernendam Semiticarum linguarum altioribus primisque fontibus hauriendum necessarium arbitror, ut difficili arduoque problemati certam solutionem afferre possimus.

Nostri ævi philologis haud dubie compertum est, linguarum, quæ nobis supersunt, originem non a *lineari* serie, sit venia verbo, sed parallela censendam esse; ita ut altera alterius non filia sit, sed soror. Synchronæ enim fuerunt: quod si quædam præ ceteris antiquiorem formam ostendat, non a remotiore origine æstimanda sit, sed a vetustiore ætate, qua vulgaris eloquii instabili arbitrio erepta a priscis scriptoribus (ut in antiquioribus monumentis continetur) prius recepta,

constituta, et certis legibus et ambitui subjecta fuerit, ita ut prioris culturæ non ævi nobis testimonium præbeat [1].

In Semiticarum linguarum historia tres periodi distinguuntur, quæ non ejusmodi idiomatis tria stadia ostendunt, sed uniuscujusque relativam præstantiam et primatum

I. *Hebraicæ*, ad VI. sæculum a. Ch.

II. *Aramaicæ*, a VI. a. Ch. sæculo ad VI. Æræ Vulgaris.

III. *Arabicæ*, ab Hegira (621) ad nos.

Nunc de singulis breviter sermonem facturus ordinis rationem sequar. Hebraica lingua quoque tres periodos ostendit.

I. *Archaicam*, ante Moysem, cujus, quamvis scripta fuerit, parva nobis specimina extant [2].

II. *Classicam*, a Moyse ad captivitatem Babylonicam, quum lingua constituta, perfecta, et ab alienigenis formis pura erat; quæ omnes libros a Moyse ad servitutem Babylonicam conscriptos complectitur. Isaias (circ. 757-712. a. Ch.) maximæ perfectionis et elegantiæ in Hebraicis litteris nobis exemplar præbet.

III. *Seriorem*, sive *Chaldaicam*, post Babylonicam servitutem, qua scriptores ut Jeremias (circ. 628-586 a. Ch.), et Ezechiel (circ. 594-536 a. Ch.), prius, postea Esdras et Neemias, et tandem τῆς Misnà auctores antiquæ puritatis et elegantiæ nescii, gliscentibus in diem formis Aramaicis, usi fuerunt. Verum post reditum a Babylone, (458 a. Ch.) quamvis a scriptoribus ספרים, et ab optimatibus ceu lingua sacra et nobilis servaretur, Hebraici tamen sermonis usus vulgo defuit, præ-

[1] Renan, *Hist. Gén. des langues Sém.* I. ed. Paris 1858. P. I. p. 91, et 219.

[2] Gen. IV. 23-24. IX. 25-27. XI. 1-10. XLIX. 1-33. Num. XXI. 14-15. et 27-30.

sertim Cyri temporibus, et [1] Aramaica Hebraicis mixta elementis paullatim priscæ linguæ omnino juribus occupatis sola locum obtinuit. Quamvis autem mutata, vetus populi nomen servavit, et Hebraica ἑβραϊστὶ, ἑβραΐς διάλεκτος, aut *patria lingua* ἡ πάτριος φωνὴ dicta est. Quoad gentis nomen spectat, a Græcis Romanisque scriptoribus Hebræi et Judæi tantum appellantur [2]. Apud V. T. scriptores Hebræorum nomen עברי ὁ περάτης appellativum fuisse videtur, et filiis Tharis aut Abrahamitis, trajecto Euphrate in Canaan immigrantibus, a Cananæis inditum. Idque alienigenæ tantum usurparunt: nam patronymicum Israelitarum ab auctore populi ductum ab ipsis solum adhibitum fuit, qui semetipsos Hebræos vocant tantum ubi alienigenas loquentes inducunt, vel ubi de se cum alienigenis sermonem habent, vel ubi ceteris gentibus opponuntur [3]. Lingua autem, ea nuncupatur interdum lingua *Canaan* שפת כנען [4] a loco, ubi priscis temporibus usuvenit; *Judaica* יהודית [5] post Judæ et Israelis regnorum divisionem, quo tempore Judæorum nomen ortum est; et demum *Assyra*, et *Lingua Sancta* אשורית et לשון הקדש a Misnà, ut a vulgari sermone distingueretur, qui *vulgaris lingua* לשון הדיוט ἰδιωτῶν γλῶσσα, appellabatur [6].

Sub Ezechiæ regno, centum et viginti annos ante captivitatem, Hebraica et Aramaica lingua יהודית et ארמית adhuc omnino distinctæ

[1] Renan, ib. p. 147. - Luzzato, *Prol.* p. 93.

[2] Pausania, 1. 6. 10. 12. 24. - Tac. *Hist.* I. 10. III. 4. V. 2. 4. 10. 11. - Juv. Sat. VI. *v.* 547. - Macch. VII. 21. 27. XII. 37. - Joan. V. 2. XVII. 20. XIX. 13. - Act. App. XXI. 40. XXII. 2. XXVI. 14. - Joseph. *De bello jud.* Proem. T. II. p. 47. *Ant. Jud.* XVIII. VI. 10. p. 896. ed. c. - Renan, p. 122. 148.

[3] Gesenius, Lex. Man. ad rad. עבר

[4] Isaias, XIX. 18. - Bochart *Canaan.* T. I. c. XV. p. 58.

[5] Reg. II. XVIII. 26. 28. - Isaias, XXXVI. 11. 13. - Neemias, XIII. 24.

[6] Luzzato, ib. p. 75. - Renan, ib. p. 157.

erant ita ut, etsi Hebraicæ proxima, a vulgari cœtu Judæorum Aramaica non intelligeretur [1]. Post reditum tamen præsertim, ut diximus, circiter VI. a. Ch. sæculo, Cyri temporibus, Aramaica, quæ jam prius a Tigri flumine ad Libanum montem, et Palæstinæ et Phœniciæ fines vulgaris erat, ceterorum Semiticorum idiomatum præter Arabicum primas arripuit, et per XII sæcula principatum tenuit [2]. Plerique enim Judæorum, qui Esdram non secuti, Babylonem, proximosque vicos, ac civitates incolebant, patriæ linguæ obliti, et magis in dies Aramaica vernacula effecta, in Palæstinam quum reversi fuissent, Hebræorum sermo magis magisque a prisca puritate degeneravit, et alienigenis vocibus, formisque infectus est, donec omnino desiit esse vulgaris. Ex hac Hebraismi et Chaldaismi admixtione ortus est sermo ille Judæorum, qui ad Hebræum ita accedit, ut Chaldæo tamen sit multo propior, et Hebraicus appellatus fuit a N. T. auctoribus, et ceteris scriptoribus, quia Hebræorum sermo erat [3] vernaculus.

Aramaicarum litterarum historiam Assemanus [4] hoc modo apte eleganterque narrabat. Dum ille cymba codicum Nitriensium onusta Nilum præternavigaret, animo occursabat, meritoque secum ipse reputabat, non absimilem hujus fluminis origini, cursuique Syriacæ litteraturæ fortunam fuisse. *Incertis quippe fontibus nata, per mille atque sexcentos annos, quot ferme duravit Assyrorum et Chaldæorum imperium, magna litterarum atque litteratorum affluentia excurrit. Persarum postea, et Græ-*

[1] Isaias, XXXVI. 11. 13. - II. Reg. XVIII. 26. 28. - Jerem. V. 15.

[2] Renan, ib. p. 210.

[3] Bochart, *Canaan*, T. I. lib. I. c. XV. p. 52. 57. - Luzzato, ib. p. 75. - Walton, T. I. *Prol.* p. 18. et 88. [4] *Bibl. Or.* T. I. *Ded. ad Clem.* XI.

corum armis atque dominatione angustioribus coercita ripis iter coegit, donec Romanis, Parthisque, alternante fortuna, imperantibus, terram præceps subiit. Mox Christianæ religionis favore emersit. Paullo post, oppressa per Saracenos Syrorum libertate, Religio atque bonæ artes in abditos Cœnobitarum et Eremicolarum recessus atque inhospitales terras se receperunt.

Nescio quo jure Wichelhaus [1] asserat, Aramaicam linguam inter Semiticas recte pauperrimam, et depravatissimam dici posse; nam argumenta quæ profert parvi facienda sunt, nec contra ejusdem simplicitatem, et ubertatem quicquam demonstrant. Quamvis enim Arabico sermoni in verborum copia, phrasium concinnitate, et mirabili sonorum varietate non sit æquiparanda, Hebraicam tamen ubertate longe antecellit, et Aramaicarum litterarum dignitatem, et præstantiam innumeri ac præstantissimi Chaldæi, Syrique scriptores ab Ephræmo (obiit 372. Æ. V.) ad Barhebræum (1226 - 1286. Æ. V.), et Ebediesu (obiit 1318. Æ. V.) sole clarius palam faciunt, operibusque cedro dignis illustrant.

Quum igitur nullus indigena et pervetustus Aramaicus textus ad nos pervenerit, ad illos ab Hebræis in V. T. nobis servatos recurrendum est: quamvis Aramaicus sermo valde probabiliter apud Judæos aliquantulum a prisca et natali puritate defecisset, et saltem Hebraica orthographia imbutus esset [2].

Exiguum, sed vetustissimum Aramaicæ linguæ vestigium nobis exhibetur in Genesi (XXXI. 47.), et longe recentiore ætate Jeremiæ comma, (X. 11.) nisi fortasse origine laboret, utpote a Targum depromptum.

[1] l. c. p. 37. [2] Renan, ib. p. 215.

Uberiora vero specimina præbent fragmenta, quæ in Daniele (a. Ch. 606-534) leguntur (c. II. 5. ad VIII. 27.) in quibus quædam Græcę voces, ut ψαλτήριον, συμφωνία occurrunt, et tandem Esdræ (IV. 8. ad VI. 18., et VII. 12. ad 26.) Darii Hystaspis, Xersis, et Artaxersis Longimani scilicet exeunte VI. sæculo a. Ch., aut initio sequentis.

Sane quidem nonnulli libri V. T. qui ad nos græco idiomate pervenerunt, hoc Aramaico conscripti fuerant idiomate [1], quamvis statuere minime possimus, qui Hebraice, et qui Aramaice compacti fuerint: tunc enim Judæorum mos erat utramque linguam unico nomine Hebraicam nuncupandi.

Etsi enim Syriaca et Chaldaica lingua non duæ, sed una omnino sint absque ullo inter utrasque discrimine, præter recentiorem litterarum formam, et pronunciationem, ita ut unico correctiore nomine Aramaica appellanda sit; tamen Judæorum sermo duas dialectos habuit, quarum οἱ Targumin, et duo Talmud, aut potius Ghemerà, *Babylonica* scilicet et *Hierosolymitana* nobis ampla specimina præbent. Dialectus enim τοῦ Talmud Babylonici, etsi inconcinna, minus tamen a puriore

[1] *Mirari non desino exactionis vestræ instantiam: exigitis enim, ut librum Chaldæo sermone conscriptum, ad Latinum stylum traham, librum utique Tobiæ, quem Hebræi de Catalogo divinarum Scripturarum secantes, his, quæ Apocrypha memorant, manciparunt.* Hier. *Præf. in lib. Tobiæ T. X. p. 2. Apud Hebræos Liber Judith inter Apocrypha legitur: cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur . . . Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputavi: sola ea, quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis invenire potui, Latinis expressi.* Præf. in lib. Jud. ib. p. 22. Hoc etiam Origenes Macchabæorum testatur, eorumque titulum Σαρβὴθ Σαρβανὲ ἐλ servavit. *Op. Omnia, Comm. in Psal.* I. T. II. p. 529. ed. Delarue Parisiis 1733.

Aramaica distat, quam τοῦ Talmud Hierosolymitani, qui magis Hebraicis formis gaudet, et hebraismum redolet. Prior ארמי *Aramæa,* altera סורסי *Syriaca* a Talmudistis nuncupata est; sed quamvis hoc nomen Palæstinæ dialecto tributum sit, nihilominus a geographia potius, quam a similitudine cum vernaculo sermone proximarum septentrionalium provinciarum repetendum est. Non enim sententiæ Fürstii [1], et Renani [2] suffragamur, qui a septentrionali Syriaca infusione hanc permutationem petendam esse censent. Judæi Babylone Aramæam linguam didicerunt; quapropter ad dialectum Babylonicam Palæstinensium lingua referenda est, quadam tamen, ut diximus, Chaldaici sermonis admixtione cum Hebraico post reditum a servitute: nec non ad primigenium influxum comprobandum haud dubio argumento sunt vernaculæ voces a N. T. auctoribus, a Josepho Flavio [3], et ab Eusebio Cæsariensi [4] græcis litteris exaratæ, et puncta vocalia τῶν Targumin constanter et ubique non ad Syrorum sive occidentalium pronuntiationem et normam expressa, ad eamque vel Samaritani plerique regione Transeuphratensi advenæ proxime accedunt [5].

Quum igitur Judæi linguæ patriæ obliti, Chaldaicam non sine quodam hebraismi velut indumento post captivitatem in patriam induxissent, necessitas orta est legem populo primigenio sermone præle-

[1] Fürstii, *Lehrgeb. der Aram. Idiome* p. 12 et seq. [2] Renan, ib. p. 143.217.

[3] Μοῦσῆς μὲν οὖν ἀβανὴθ αὐτὴν ἐκάλεσεν· ἡμεῖς δὲ παρὰ Βαβυλωνίων μεμαθηκότες ἐμίαν αὐτὴν καλοῦμεν. *Hanc quidem Moyses nominavit Abaneth; nos autem a Babylonis edocti ipsam Emian appellamus.* Jos. *Ant. Jud.* T. I. l. III. c. VII. 2. p. 140. Ed. Havercampii Amstelod. 1726. in fol.

[4] Euseb., *Hist. Eccl.* T. I. l. IV. c. VI. p. 124.

[5] Wichelhaus, *De N. T. vers. Syr. Ant. quam Peschitho vocant.* p. 43.

gendi, eamque postea vulgari eloquio ad communem intelligentiam exponendi, et domestico sermone interpretandi. Hæc origo fuit τῶν Targumin, sive Chaldaicarum paraphraseon, quæ a variis auctoribus, variisque temporibus concinnatæ, vocali traditione a discipulis transmissæ, et seriore ætate conscriptæ fuerunt [1]. Ex his paraphrasibus vetustate potior auctorem habet Onkelos, qui legem Chaldaice dedit paullo ante Christum natum, et eadem circiter ætate Prophetas priores, et posteriores vulgavit Jonathan ben Uziel Hillelis illius celeberrimi discipulus, de quo mira tradunt Talmudistæ, qui sub Hircani principatu vixit. Paraphrasis Hierosolymitana sint ne duæ, an unica tantum, dubito; sed fragmenta, quæ supersunt, ad Apostolorum tempora referenda esse arbitror. Parum enim puto veritati adhæsisse Cl. Waltonum, cui multo recentiora hæc ipsa esse videntur, propter altum de illis silentium apud antiquiores Judæorum scriptores, tum ob vocum barbararum mixtionem, et tandem a voce *Chittim* (Num. XXIV. 24), quam Hierosolymitanus interpres utpote *Lombardiam* sonantem enunciat, quemadmodum Waltonus ipse autumat.

Silebant Judæi de his Chaldaicis Paraphrasibus, et diligenter abscondebant perrara illa exemplaria, quæ possidebant, pro odio in Christianos, quibuscum acriter disputabant, ne ex illis valida argumenta contra eos depromerent, dum Ecclesiæ patres, antiquiores præsertim, tanta animi acerbitate flagrabant, ut Judæorum libros prorsus abominarentur. [2] Mirum etiam non est, quod Græcæ barbaræque voces nonnullæ occurrant; nam sub Syrorum Macedonum dominatione factum est, ut,

[1] Graetz, *Gesch. der Juden* T. IV. p. 555. Berlin 1858.

[2] De Rossi, *Della ling. propria di Cristo* p. 136. - Walton, *Prol.* XII. 9. 10.

quum multi Græci, Syriæ maxime maritimæ oppida incolerent, jam Græca aulica lingua evaserit, multæque peregrinæ locutiones a Babylonica captivitate, et Romanorum imperio petendæ essent, eodem modo, quo in Misnà, et Ghemerà præsertim Hierosolymitana obtinuerunt. Quod autem attinet ad Lombardiæ mentionem, tota errat via Clarissimus Auctor; nam in Hierosolymitano Targum loco præfato non legitur בלברדיא, sed בלבורניא *in Liburnicis* [1]. Contra autem pro ejusdem antiquitate argumento est, quamplures sententias in illo reperiri iisdem verbis, quibus in N. T. Christus et Apostoli elocuti sunt [2]. Judæi enim erant, et cum Judæis loquentes, proverbialibus dictis et parabolis, quæ vulgares erant, ad majorem intelligentiam usi fuere.

Hæc, quæ dixi, ad Paraphraseos spectant ætatem: assentior tamen Waltono edocenti, Hierosolymitanum Targum paullo ante, aut paullo post a R. Jonathan suum Talmud Hierosolymitanum eadem dialecto conscriptum fuisse. Prout enim superius diximus, Misnà, duo Ghemerà, et Targumim, a magistris ad discipulos transmissa vocali traditione, posteriore ætate tantum litteris commissa fuerunt. Targumim Pseudo-Jonathani et Hagiographorum recentiora sunt, et a variis auctoribus concinnata fuere. In Targumica dialecto brevitas, robur, nobilitas et magniloquentia Hebraici sermonis desiderantur; ejus enim elocutio rudis, infirma, prolixa, pleonasmis referta est, quamvis Hebraica magis perspicua, ambiguitate aliena, et sensu tenacior.

1 Walton, T. I. *Præf.* p. 34. et 83. et seq. T. IV. p. 190.
2 Matth. VII. 2. et Luc. VI. 38. Gen. XXXVIII. 28. - Matth. VI. 9. Deut. XXXII. 6. - Matth. V. 42. Deut. XV. 8. et al. plur.

Huiusmodi dialectum, adhibita quadam pro locis et temporibus varietate, Judæis in Assyria et Palæstina degentibus, ut infra demonstrabo, Christi temporibus fuisse vernaculam, communis et indubia philologorum sententia est: nec Fürstii [1] objectiones plurimi faciendas arbitror. Onkelos et Jonathani verborum puritas, et generis dicendi præstantia præ Pseudo-Jonathani et Hierosolymitani Targumim, tum ætati, tum auctorum patriæ, tum accuratiori confectioni tribuenda est. Nec prætereundum est, tunc temporis, ut semper, et ubique, etiam in Assyria et Palæstina duas linguas fuisse, *nobilem,* scilicet לשון חכמים, et *vulgarem* לשון הדיוט; sicque illi primi politiorem, humiliorem alteri elegerunt; et hæc Palæstinensium lingua ad Christi tempora domestica fuit.

De Aramaicis dialectis tantum apud eruditos [2] disceptatum est, ut ex variis oppositisque sententiis haud parva confusio orta sit: et adhuc sub judice lis est. Proinde ad controversiam difficultatibus purgandam ac plane dirimendam, rem non levis momenti, de qua agitur, lucide ac breviter exponere et definire necessarium existimo. Hoc autem fidentiori animo scribam; nam cum judicio Clarissimorum Matthæi Sciahuani, et Samuelis Luzzati, qui nostra ætate in his Orientalium linguarum disciplinis ceteros antecellunt, ratio nostra una mente consentit.

1 Fürst, *Lehrgeb. der Aram. Idiom.* p. 5.

2 Hapfeld, *Stud. u. Krit.* 1830. p. 391 - Haevernickius, *Einleitung* I, I. p. 105. Winer, *Gramm. des bibl. u. targ. Chald.* p. 9. - Michaelis, *Abhandlung von der Syr. Sprache etc.* p. 5. - Ridley, *De Syr. N. T. vers. ind. atque usu.* - Scaliger, *Epist.* l. IV. ep. 449. - Fürst. l. c. p. 5. et seq. - Amira, *Præf. ad Gramm. Syr.* - Wahl, *Gesch. der morg. Sprach.* p. 578. - Hirzel, *De Chald. Bibl. Orig.* - Cureton, l. c. p. LXXII. LXXV. - Wichelhaus, l. c. p. 33. et seq.

Aramaica fragmenta, quæ nobis extant in V. T., in Targumim, et duo Talmud, nobis ostendunt tres absimiles dialectos, aut totidem distinctas ætates ejusdem idiomatis.

Targumim Onkelos et Jonathani Babylonica quadam dialecto conscripta fuerunt posteriore, qua Daniel, et Esdras usi sunt, anteriore autem illa τοῦ Talmud Babylonici. Ita tamen ut Targumim Onkelos et Jonathani illustris, et Talmud Babylonicum vulgaris linguæ Hebræorum in illis Orientalibus provinciis degentium sincerum exemplar nobis exibeant.

Duo vero Targumim, Hierosolymitanum scilicet, et Pseudo-Jonathani illustri Palæstinensium sermone, vulgari autem Talmud Hierosolymitanum, et Midraschim confecta fuerunt.

Cetera Judæorum Asianorum Aramaica scripta ad unam, aut ad alteram ex his dialectis referenda sunt, Hebræi autem Europam incolentes elocutionem ac dicendi genus ex utriusque mixtione confectum libris tradiderunt.

Christianorum vero olim Aramaice loquentium sermo, multum ex Græco hausit, et interdum Syriacus, interdum Chaldaicus appellatur. Hac dialecto maxima elegantia prædita Syriacæ versiones, Pscittha scilicet, et Harcleitha, Ephræmi opera, et ceteri eorum libri, quos nobis tradiderunt, conscripti fuerunt, et fuit lingua incolarum Edessæ et Haran, nimirum Mesopotamiæ: et tandem Chaldaica Nabathæa omnium impurissima, quæ est adhuc vernacula dialectus populi montani Assyriæ, et pagorum Arach. Proinde hæ dialecti recensendæ sunt I. Biblica, II. Talmudica, et Targumica Babylonica, III. Hierosolymitana, IV. Samaritana, V. Syriaca, quæ non inepte Edessena

nuncupanda est, VI. Chaldaica Nabathæa. Hac partitione universus Aramaicarum litterarum ambitus continetur [1].

Nec otiosum esse censeo, nonnulla argumenta addere, quibus confirmatur, Aramaicam tunc temporis et multo postea universalem et vulgarem Palæstinæ linguam fuisse. Josephus Flavius, et Philo [2] testantur, Hebraicum Herodis Agrippæ sermonem fuisse. Chaldaicæ voces, ut *Bethesda, Gabbata, Golgotha, Talitha cumi, Eli, Eli lamma sabacthani, Effatha, raca, mammona, abba, corban* etc., turbæ *Osanna* clamantes, nomen *Haceldama* [3] lingua eorum tunc datum agro figuli Judæ nummis empto: Simon *Cepha,* Jacobus, et Joannes *Boanerges,* et Joseph *Barnabas* [4], scilicet *filius consolationis* vocati, quæ in N. T. reperiuntur,

1 اللغة السريانية تنقسم الي ثلث لغات افصحها الارامايية وهي لغة اهل الرها وحاران والشام الخارجة وبعدها الفلسطينية وهي لغة اهل دمشق وجبل لبنان وباقي الشام الداخلة واسمجها الكلدانية النبطية وهي لغة اهل جبال اثور وسواد العراق *Distinguitur lingua Syriaca in tres dialectos: quarum elegantissima est Aramæa, quæ est lingua incolarum Edessæ, et Haran, et Syriæ exterioris* (nimirum Mesopotamiæ). *Proxima illi est Palæstina, qua utuntur Damasci, et Montis Libani, et reliquæ Syriæ interioris incolæ* (Syriam proprie dictam intelligit). *At omnium impurissima Chaldaica Nabathea, quæ est dialectus populi montium Assyriæ, et pagorum Arach.* Bar-Hebræus, *in Chron.* apud. Assem. *Bibl. Or.* T. I. p. 476.

2 *Ant. jud.* l. XVIII. c. VI. p. 896. Philo, *Op. Omnia* ed. Mangey, T. II. p. 523.

3 Καὶ γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἱερουσαλὴμ, ὥστε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ διαλέκτῳ αὐτῶν Ἀκελδαμκά τοῦτἔστιν χωρίον αἵματος. Quod Syrus interpres vertit ܠܫܢܗ ܕܐܬܪܐ *lingua loci.* Act. Ap. I. 19.

4 Σὺ εἶ Σίμων, ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ· σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἑρμενεύεται Πέτρος, Syriace ܟܐܦܐ Joan. I. 43. Καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακώβου· (καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὄνομα Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς). Syriace ܒܢܝ ܪܓܫܐ Marc. III. 17. Ἰωσὴφ δὲ, ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, ὅ ἐστιν ἑρμηνευόμενον, υἱὸς παρακλήσεως λευείτης, κύπριος τῷ γένει. Act. Ap. IV. 36.

qualis vernacula Palæstinæ tunc lingua fuisset, demonstrant. Quod si quis dubitare de hoc posset, Acta Apostolorum apertis verbis testimonio sunt Paulum, dum ibat Damascum, audisse vocem loquentem sibi *Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris?* [1] et iterum Tribunum Paulo populum alloquendi facultatem petenti, dixisse [2]: *Græce nosti?* et inde Paulus *populo allocutus est lingua hebræa, Quum audissent autem, quia hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.* At si tunc Græca et non Hebraica domestica Palæstinensium lingua fuisset, otiosa plane quæstio Tribuni erat; quapropter Paulus, quamvis Græcam pulcre calleret, non eadem utpote aliena, sed vulgari usus est: et ideo quum audissent, quia Hebraice loqueretur, Judæi se magis attentos præbuerunt, quod patrio sermone illos alloquebatur.

Nec minus certa argumenta suppeditant Eusebius [3], Hierony-

1 Ἤκουσα φωνὴν λέγουσαν πρός με τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις; Act. Ap. XXVI. 14.

2 Μέλλων τε εἰσάγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν ὁ Παῦλος, λέγει τῷ χιλιάρχῳ· εἰ ἔξεστί μοι εἰπεῖν τί πρὸς σέ; ὁ δὲ ἔφη· ἑλληνιστὶ γινώσκεις; Οὐκ ἆρα σὺ εἶ ὁ Αἰγύπτιος ὁ πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀναστατώσας καὶ ἐξαγαγὼν εἰς τὴν ἔρημον τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σεικαρίων; Εἶπεν δὲ ὁ Παῦλος· ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι ἰουδαῖος, ταρσεὺς τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. δέομαι δέ σου, ἐπίτρεψόν μοι λαλῆσαι πρὸς τὸν λαόν. Ἐπιτρέψαντος δὲ αὐτοῦ ὁ Παῦλος ἑστὼς ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ· πολλῆς δὲ γενομένης σειγῆς προσεφώνησεν τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, λέγων. Act. Ap. XXI. 37 - 40. Ἀκούσαντες δὲ ὅτι τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ προσεφώνει αὐτοῖς, μᾶλλον παρέσχον ἡσυχίαν. Ib. XXII. 2.

3 ܘܐܡܪ ܠܗ ܝܫܘܥ... ܠܐܢܫܐ ܓܠܝ̈ܠܝܐ ܕܠܐ ܡܕܡ ܝܕܥܝܢ ܗܘܘ ܠܒܪ ܡܢ ܡܠܬܐ ܣܘܪܝܝܬܐ. *Et Jesus dixit illi, ... hominibus Galilæis, qui tantum Syriacam loquelam cognoscebant.* Euseb., *Teoph.* l. IV. §. 6. ܘܬܪܝܨܐ ܕܗܢܘܢ ܡܬܚܫܒܝܢ ܗܘܘ. ܐܝܟ ܠܟܠܗܘܢ ܘܡܕܡ ܐܚܪܢ ܠܒܪ ܡܢ ܐܘܡܢܘܬܐ ܕܨܝܕܐ ܠܐ ܝܕܥܝܢ ܕܠܐ ܡܫܟܚܐ *Et recte cogitabant, quod possibile non fuisset illis Syris lingua, et quidquam aliud, præter piscatorum artem nescientes.* Ib. c. IV. §. 8.

mus [1] et Josephus Flavius [2], dum hic asserit se esse Hierosolymitanum; itemque sub fine Antiquitatum judaicarum ait: *Populares meos confitentes habeo, quod illis in patria disciplina plurimum præstiterim græcarum etiam litterarum studio postquam Grammatices elementa didicissem, memet addixi, quamvis exquisitam pronuntiandi rationem assequi per patriam consuetudinem mihi non licuit.*

Qui etiam in Proemio Antiquitatum judaicarum testatur, opus suum serius tantum vulgasse *propter cunctationem quamdam et segnitiem tantam materiam in alienam et peregrinam linguam traducendi.* Si itaque

1 In Matthæi c. XXVI. ad verba: *Nam et locutio tua te manifestum facit: ubi scribit: Non quod alterius sermonis esset Petrus aut gentis exteræ. Omnes quippe Hebræi erant, et qui arguebant, et qui arguebatur; sed quod unaquæque provincia et regio habebat proprietates suas, et vernaculum loquendi sonum vitare non possit.* Hier., T. VII. p. 225. ed c. Quæ Nicolaus de Lyra plenius explicavit hisce verbis in sua Glossa ad Matthæum. *Licet enim lingua Hebræa sit una, tamen aliquo modo variabatur secundum diversitatem provinciarum, et idcirco illi de Galilæa aliter loquebantur aliquo modo, quam illi, qui erant de Jerusalem.*

2 Ιώσηπος Ματθίȣ παῖς, γένει Εβραῖος, ἐξ Ιεροσολύμων. *Josephus Matthiæ filius, Hebræus genere, ex Hierosolymis. De bel. jud. Proem.* T. II. p. 48 ed. c. Ἐγὸ γὰρ ὡμολογȣ́μην παρὰ τῶν ὁμοεθνῶν πλεῖστον αὐτῶν κατὰ τὴν ἐπιχώριον παιδείαν διαφέρειν· καὶ τῶν Ελληνικῶν δὲ γραμμάτων ἐσπούδασα μεζασχεῖν, τὴν γραμμαθικὴν ἐμπειρίαν ἀναλαϐών, τὴν δὲ περὶ τὴν προφορὰν ἀκρίβειαν πάτριος ἐκώλυσε συνήθεια. *Ant. jud.* T. I. l. XX. c. XI. p. 982. χρόνȣ δέ ϖρίοντος, ὅπερ φιλεῖ τοῖς μεγάλων ἅπτεσθαι διανοȣμένοις, ὄκνος μὸι καὶ μέλλησις ἐγίνετο τηλικαύτην μετενεγκεῖν ὑϖόθεσιν εἰς ἀλλοδαπὴν ἡμῖν κὰι ξένης διαλέκτου συνήθειαν. *Ant. jud. Proem.* T. I. p. 2. Προὐθέμην ἐγὼ τοῖς κατὰ τὴν Ρωμαίων ἡγεμονίαν, Ελλάδι γλώσσῃ μεταϐαλὼν ἅ τοῖς ἄνω βαρϐάροις τῇ ϖατρίῳ συντάξας ἀνέπεμψα πρότερον ἀφηγήσασθαι. *De bel. jud.* T. II. *Proem.* p. 47. τῇ πατρίῳ γλώσσῃ βοῶντες ὁ ἰὸς ἔρχεται. *De bel. jud.* l. V. p. 339. Quod hebraico respondet בא הבן. Καὶ ὁ Ιώσηπος, ὡς ἀν εἰ μὴ τῷ Ιωάννῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ϖολλοῖς, ἐν ἐπηκόῳ στὰς τάτε ȣ̃ Καίσαρος διήγγειλεν Εϐραΐζων, καὶ ϖολλὰ ϖροσηντιϐόλει ..... *De bel. jud.* l. VI. c. II. p. 373. 374.

Græca lingua Josepho aliena fuit et peregrina, quæ patria lingua ipsi et domestica esse potuerit, nisi Aramaicus Hebræorum sermo, qualis tunc Hierosolymæ vernaculus erat? Demum in Procemio De bello judaico disertis verbis enuntiat, sibi proposuisse, *quæ mediterraneis barbaris jam ante miserat patria lingua conscripta, tunc græce versa in gratiam illorum, qui sub Romanorum degebant imperio eadem narrare.*

Alibi vero plene palamque enarrat, quum Vespasianus urbem bellicis instrumentis expugnaret, Judæos patria lingua clamasse, *missile*, seu *filius machinæ venit;* et tandem, quum Titus militibus, qui cum eo erant, imperasset, ut Antoniæ fundamenta diruerent, Josepho ad se vocato, *Joanni dicere iterum præcepit, quæ ante mandaverat. Josephus autem quasi non soli Joanni, sed etiam pluribus (cum constitisset unde exaudiri posset) quæque ipsi in mandatis dederat Cæsar, Hebraice nuntiavit.* His etiam Eusebii et Ruffini [1] testimonia suffragantur.

Nec alia argumenta desunt, quæ recensere supervacuum puto, quum laudata potiora sint, et evidenter demonstrent, usque ad eversionem Hierosolymæ Aramaicam Hierosolymitanam dialectum interdum Hebraicam, interdum patriam linguam nuncupatam, Palæstinorum vernaculam et domesticam fuisse [2].

[1] Τὴν δὲ ἱστορίαν τοῦ κατ᾽ αὐτὸν Ἰουδαϊκȣ̃ πολέμȣ, ἐν ἑπτὰ λόγοις· ἃ καὶ ȣ̓ μόνον τῇ ἑλλήνων, ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίῳ φωνῇ παραδȣ̃ναι αὐτὸς ἑαυτῷ μαρτυρεῖ, ἄξιος γε ὢν διὰ τὰ λοιπὰ πιστεύεσθαι. *Scripsit autem antiquitates quidem judaicas viginti libris: historiam vero belli judaici, quod a Romanis sua ætate gestum est, septem voluminibus complexus est, quam non solum Græco, sed etiam patrio sermone ab se editam esse testatur.* - Euseb., *Eccl. Hist.* l. III. c. IX. p. 91. - Ruffinus, *Instit. Eccl. Euseb.*, l. III. c. 9. p. 55. ed. Bassani.

[2] II. Macch. VII 4. - Quoad vocem ἑβραϊστὶ, doctiores interpretes, et præsertim Nonnus, qui Joannis Evangelium v. Sæc. Græcis carminibus vertit, pro Σύρων

Matthæum præ ceteris Evangelium in Judæa Hebræo sive Chaldaico, Syroque sermone, sed Hebraicis litteris edidisse, eorum maxime gratia, qui in Jesum crediderant ex Judæis, ab apostolicis temporibus, veterum patrum summo et unanimi assensu, ac ecclesiastica traditione compertum est.

Primus omnium Papias Apostolorum æqualis apud Eusebium [1] testatur, Matthæum Hebraico sermone divina scripsisse oracula, ab unoquoque, prout illi facultas erat, interpretata: quod etiam Irenæi [2]

στόμα, Σύρω μήθω, Σύρῳ φωνῇ usurparunt. Buxtorfius, *Lex. Chald. Talm.* col. 434. - Calmet, *Præf. in Ev. Matth.*- Michaelis, *Intr. au N. T.* T. III. p. 155. Simon, *Hist. Crit. du N. V.* T. I. c. V.-DeRossi, *Della ling. propr. di Cristo.* Parma 1772. - Wiseman, *Horæ Syriacæ* P. I. - Ewald, *Jahrbücher der bibl. Wissenschaft* T. II. p. 184, *et seq.* Renan, *Hist. Gen. des langues sem.* p. 224. - Valroger, *Intr. Hist. et Crit. au livres du N. T.* T. II. p. 34. Patritius, *De Evv.* l. I. c. I. p. 17. - Lamy, *Præf. App. Cr.* c. VI. - Mill, *Prol.* §. 65. - Walton, *Præf.* T. I. p. 88. et T. II. *Prol.* p. 483. - Elsner, *Dissert. Matth. Hebr. serm. conscripsisse.* Franc. ad Viadrum 1791. - Olshausen, *Die Echtheit der Evv.* p. 18. et 69. - Campbell, *Pref.to Matthew's Gospel* Horne, *Intr.* P. II. c. II. Sect, II. §. IV. - Cureton, l. c. *Pref.* p. LXXIII. - Wichelhaus, l. c. p. 29. - Widmanstad, *Præf.* in N. T. - Mayer, *Phil. Sacr.* T. II. p. 8. 468. 506: et *Exerc. Bibl.* p. 379. 881 - Ridley, *De Syr. N. T. Vers. Indole* p. 9. - Amira, *Præf. in Gramm. Syr. sive Chald.* - Scharf, *Præf. in Opus. Aram.*

1 Ματθαῖος μὲν οὖν Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο. ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος. Euseb., *Eccl. Hist.* l. III. c. XXXIX. T. I. p. 119.

2 Euseb., *Eccl. Hist.* l. V. c. VIII. ed. c. T. I. p. 189. Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου. *Matthæus, inquit, apud Hebræos propria eorum lingua conscriptum Evangelium edidit* Iren., *Contra Hær.* III. 1. n. 1. ed. Venetiis 1734. T. I. p. 174. Τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον πρὸς Ἰουδαίους ἐγράφη. *Evangelium Matthæi propter Hebræos scriptum fuit* Ib. *Frag.* T. I. p. 347.

auctoritate confirmatur, et Panteni Alexandrini [1], qui in patriam reversus Matthæi Hebraicum Evangelium, quod apud Indos a Bartholomæo traditum invenerat, in patriam attulit; itemque testimonio Origenis [2],

[1] Ἔνθα (παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς) λόγος εὑρεῖν αὐτὸν προφθάσαν τὴν αὐτοῦ παρουσίαν, τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον παρά τισιν αὐτόθι τὸν Χριστὸν ἐπεγνωκόσιν· οἷς Βαρθολομαῖον τῶν Ἀποστόλων ἕνα κηρύξαι. αὐτοῖς τε Ἑβραίων γράμμασι, τὴν τοῦ Ματθαίου καταλεῖψαι γραφήν· ἣν καὶ σώζεσθαι εἰς τὸν δηλούμενον χρόνον. *Ibique (apud Indos) Evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse: quibus scilicet Bartholomæus, unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat, et Evangelium Matthæi Hebraicis conscriptum literis reliquerat: quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur.* Euseb., *Eccl. Hist.* l. v. c. x. p. 192. - Πανταῖνος Στωϊκοῦ δόγματος φιλόσοφος, κατά τινα παλαιὰν τῶν Ἀλεξανδρέων συνήθειαν, ἐν ᾗ ἀπὸ Μάρκου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ Ἐκκλησιαστικοὶ γεγόνασι διδάσκαλοι, τοσαύτης σοφίας καὶ παιδεύσεως, τοῦτο ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς, τοῦτο δὲ καὶ τοῖς κοσμικοῖς γράμμασιν ἐντὸς γέγονεν, ὥστε παρακληθέντα αὐτὸν παρὰ τῶν Ἰνδίας πρεσβυτέρων, ὑπὸ Δημητρίου Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου εἰς τὴν Ἰνδίαν ἀποσταλῆναι, ἐν ᾗ εὗρε Βαρθολομαῖον ἐκ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, τὴν ἔλευσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ κατὰ τὸ Ματθαίου Εὐαγγέλιον κηρύξαντα, ὅπερ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι γεγραμμένον, εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀναζεύξας, μεθ' ἑαυτοῦ ἐκόμισε. *Pantænus Stoicæ sectæ Philosophus, juxta quamdam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi a Marco Evangelista semper Ecclesiastici fuere Doctores, tantæ prudentiæ et eruditionis tam in Scripturis divinis, quam in sæculari literatura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, a Demetrio Alexandriæ Episcopo, mitteretur. Ubi reperit, Bartholomæum de duodecim Apostolis, adventum Domini nostri Jesu Christi juxta Matthæi Evangelium prædicasse, quod Hebraicis literis scriptum, revertens Alexandriam secum detulit.* Hier., *De Viris Ill.* c. XXXVI. T. II. p. 862.

[2] Ὅτι πρῶτον μὲν γέγραπται τὸ κατὰ τὸν ποτὲ τελώνην, ὕστερον δὲ Ἀπόστολον Ἰησοῦ Χριστοῦ Ματθαῖον ἐκδεδωκότα αὐτὸ τοῖς ἀπὸ Ἰουδαϊσμοῦ πιστεύσασι, γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς συντεταγμένον. *Primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthæo, prius quidem Publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud Hebraico sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit.* Apud Euseb., *Eccl. Hist.* l. VI. c. XXV. T. I. p. 252.

Clementis Alexandrini [1], Cyrilli Hierosolymitani [2], Eusebii [3], Chrysostomi [4], Epiphanii [5], et tandem Hieronymi [6], qui ceteros sacrarum litterarum eruditione præcellit. Quin etiam non solum Matthæum Evangelium Hebraicis litteris, verbisque digessisse diserte affirmat, sed addit: *Porro ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bi-*

[1] Clem. Alex., T. I. 21. p. 409. [2] Cyril. Hier., *Cath.* XIV. CXV. Venet. 1763. p. 212.

[3] Ματθαῖος μὲν γὰρ πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ᾽ ἑτέρους ἰέναι, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ᾽ αὐτὸν Εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, τούτοις ἀφ᾽ ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλέρου. *Nam Matthæus cum Hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit.* Euseb., *Eccl. Hist.* l. III. c. XXIV. T. I. p. 103. - Ὁ μὲν γὰρ εὐανγγελιστὴς Ματθαῖος ἑβραΐδι γλώττῃ παρέδωκε τὸ εὐαγγέλιον· ὁ δὲ ἐπὶ πὴν ἑλλήνων φωνὴν μεταβαλὼν αὐτό. *Namque ipse Matthæus Hebraica lingua edidit Evangelium: ab eo autem qui in græcam transtulit.* Apud Mai, *Script. Vet. N. Coll.* T. I. p. 54. *Quæst. ad Marinum.*

[4] Λέγεται δὲ καὶ Ματθαῖος τῶν ἐξ Ἰουδαίων πιστευσάντων προσελθόντων αὐτῷ καὶ παρακαλεσάντων, ἅπερ εἶπε διὰ ῥημάτων, ταῦτα ἀφεῖναι διὰ γραμμάτων αὐτοῖς, και τῇ τῶν Ἑβραίων φωνῇ συνθεῖναι το εὐαγγέλιον. *Narratur porro, Matthæum, accedentibus rogantibusque judæis, qui crediderant, ea, quæ verbis protulerat, literis descripta iisdem reliquisse, et Hebraice Evangelium scripsisse.* Chrys., *Op. Omnia* Hom., I. n. 3. T. VII. p. 7.

[5] Ὡς τὰ ἀληθῆ ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι Ματθαῖος μόνος Ἑβραϊστὶ καὶ Ἑβραϊκοῖς γράμμασιν ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ ἐποιήσατο τὴν τοῦ Εὐαγγελίου ἔκθεσίν τε καὶ κήρυγμα. *Etenim vere illud affirmare possumus, unum ex omnibus Novi Testamenti scriptoribus Matthæum Hebraice, ac literis Hebraicis Evangelicam historiam texuisse.* Epiph., *Hær.* XXX. V. I. Ed. Coloniæ 1682. T. I. p. 127. - Οὗτος μὲν οὖν ὁ Ματθῖος Ἑβραϊκοῖς γράμμασι γράφει τὸ Εὐαγγέλιον, κὰι κηρύττει. *Hic igitur Matthæus Hebraica lingua scripsit, ac prædicavit Evangelium.* Id. *Hær.* LI. V. I. p. 426.

[6] *In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque sermone, sed Hebraicis literis scriptum est.* Hier., *Op. Omnia.* l. III. *Contra Pelag.* T. II. p. 768. - Id. *De Viris Ill.* c. III. p. 819.

bliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaræis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur describendi facultas fuit. Idque in Græcum Latinumque sermonem de Hebræo se transtulisse asserit, tametsi ejus laboris, ne verbum quidem ad nostram usque ætatem devenerit [1]. Nec leviora argumenta suppeditant subscriptiones, quæ semper ad calcem Evangelii Matthæi in Syriacis versionibus occurrunt, quæ illud Hebraice conscriptum fuisse

[1] *Denique Matthæus, qui Evangelium Hebræo sermone conscripsit, ita posuit, Osanna Barrama* (ברמה). Hier., *Epist. XXI. ad Damasum. Op. Omnia* T. I. p. 67. - *Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræos, et a me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est, quo et Origenes sæpe utitur.* Id. *De Viris Ill.* c. II. T. II. p. 818. - *Matthæus, qui et Levi ex publicano Apostolus, primus in Judæa propter eos, qui ex Circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis literis verbisque composuit: quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est.* Id. *De Viris Ill.* c. III. T. II. p. 819. - *Primus omnium Matthæus... qui Evangelium in Judæa Hebræo sermone edidit ob eorum vel maxime causam, qui in Jesum crediderant ex Judæis.* Id. *Comm. in Matth. Præf.* T. VII. p. 3. *De Novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis literis edidit. Præf. ad Damasum.* - *In Evangelio, quo utuntur Nazaræni et Ebionitæ quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, et quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum.* Id. *Comm. in Matth.* l. II. c. XII. T. VII. p. 77. - *Matthæus autem et Joannes, quorum alter Hebræo, alter Græco sermone Evangelia texuerunt, testimonia de Hebraico proferunt.* Id. *Comm. in Isaiam* l. III. c. VI. T. IV. p. 97. - *Mihique videtur Evangelista Matthæus, qui Evangelium Hebraico sermone conscripsit, non tam* vespere *dixisse quam* sero, *et eum qui interpretatus est, verbi ambiguitate deceptum, non* sero *interpretatum esse, sed* vespere. Id. *Ep. ad Hedibiam* T. I. p. 820. - *Cui nos breviter respondebimus: primum Matthæum Evangelium Hebræis literis edidisse, quod non poterant legere, nisi hi, qui ex Hebræis erant.* Id. *Comm. in Oseam* l. III. c. XI. T. VI. p. 123.

testantur [1], et nonnulla etiam Græca exemplaria, et Arabicæ, et Persicæ versionis, et etiam omnium Orientalium Ecclesiarum consensus.

Hanc sententiam tot testimoniis, et veterum scriptorum suffragio, et pervetusta continuaque traditione firmatam, primus Erasmus Roterodami in dubium revocavit, quem Cardinalis Cajetanus, M. Flacius Illiricus, Calvinus, Diodatus, Beza, Fabricius, Le Clerc, Cellerier, Lighfoot, Wetstein, Paulus, Strauss, Schröder, Fritzsche, Masch, Hug, Rosenmüller Major, Renan, Wichelhaus, et alii secuti sunt, quamvis nullum locum in N. T. [2], nec ullum quidem historicum testimonium vel minimum ad illorum thesim demonstrandam proferre potuissent. Contrariam sententiam tuetur magnum eruditorum agmen, quod nominatim enumerare supervacaneum ingratumque opus foret; celebriores tamen recensere non me pigeat, ut Walton, Widmanstad, Bochart, Amira, Eichorn, Adler, De Rossi, Lamy, Horne, Michaelis, Marsch, Le Quien, Du Pin, Calmet, Assemani, D.r Mill, Patrizi, Cureton, Glaire, Valroger, Mayer, Meisner, Rhenferd, Reland, Halfeld, Storr, Corradi, Elsner, Olshausen, Campbell, Vossius, Wahl, Berthold, Sieffert, Alfords, Dannhauer, Calixtus, Pfankuche, et alios plurimos.

[1] Assem., *Bibl. Or.* T. I. Præf., et T. III. P. I. p. 8. - Adler., l. c. p. 20. 53. 58. - In antiquissimo Syriaco Evangeliorum Codice Florentiæ in Bibliotheca S. Laurentii (Pluteo I. cod. 56.) asservato, et a Rabula calligrapho anno Alexandri DCCCXCVII, Christi 586, cœnobio S. Joannis in Zagba ܒܝܬ ܙܓܒܐ Mesopotamiæ urbe exarato legitur ܫܠܡ ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܡܬܝ܆ ܕܡܠܠ ܥܒܪܐܝܬ ܒܦܠܣܛܝܢܐ. ܐܝܬ ܒܗ ܦܬܓܡܐ ܬܪܝܢ ܐܠܦܝܢ ܘܚܡܫܡܐܐ ܘܥܣܪܝܢ ܘܬܪܝܢ ܦܬܓܡܝܢ. *Explicit Evangelium Matthæi, quod Hebraice loquutus est in Palæstina. Continet* 2522. *commata.*

[2] Michaelis, *Introd. au N. T.* T. III. p. 155. et seq.

Eusebius [1], Cyrillus Hierosolymitanus [2], Tertullianus [3], Chrysostomus [4], Gregorius Nazianzenus [5], Augustinus [6], id nobis tradiderunt; quod, quum per duodecim circiter annos Matthæus Evangelium prædicasset Judæis genere Palæstinam incolentibus, quique priusquam discederet ad apostolatum apud ceteras nationes fungendum, Jesu nomen dederant, Hierosolymitanæ Ecclesiæ ceu ὑπόμνημα, aut *commentarium* de prædicatione sua, nativa ac domestica illorum lingua, qua nuntiatum fuerat, et qua reliqui eorundem libri conscripti erant, redegit, ut a Judæorum vulgo facile intelligeretur. Et tandem Christi genealogia, et universus verborum periodorumque ambitus plane Aramaicam dictionem redolet. Nec omittendum puto, Christum Judæis tantum præ-

[1] Euseb., l. c. Vide sup. p. XXVI. not. 3.

[2] Ἑβραῖοι ἔγραψαν ἐκεῖνα· καὶ οἱ ἀπόστολοι πάντες Ἑβραῖοι· διὰ τί οὖν τοῖς Ιουδαίοις ἀπιστεῖτε; Ματθαῖος ὁ γράψας τὸ Εὐαγγέλιον, Εβραΐδι γλώσσῃ τοῦτο ἔγραψε· καὶ Παῦλος ὁ κήρυξ, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων· καὶ οἱ δώδεκα ἀπόστολοι ἐξ Ἑβραίων. εἶτα δεκάπεντε Ἱεροσολυμῖται ἐπίσκοποι ἐξ Ἑβραίων κατὰ διαδοχὴν κατέστησαν. *Hebræi priora illa scripserunt: omnes quoque Apostoli Hebræi fuere: quidni ergo Judæis creditis? Matthæus qui Evangelium scripsit, Hebraica illud lingua conscripsit. Paulus prædicator, Hebræus ex Hebræis: et duodecim Apostoli, Hebræi omnes. Deinde quindecim Hierosolymorum episcopi ex Hebræis continua successione sunt constituti.* Cyril. Hier., l. c. Vide supra p. XXVI. not. 2.

[3] *Ipse imprimis Matthæus fidelissimus Evangelii commentator, et comes Domini.* Tert., *Op. Omnia* Venet. 1744. *De Carne Christi* XXII. p. 323. 324.

[4] Chrys., *Op. Omnia,* Hom. I. n. 3. in Matth. T. VII. p. 7. Vide supra p. XXVI. not. 4.

[5] Ματθαῖος μὲν ἔγραψεν Ἑβραίοις θαύματα Χριστοῦ. *Matthæus autem Hebræis scripsit miracula Christi.* Greg. Naz., *Carm.* XII. *v.* 31. *De Veris Script. libris.*

[6] *Horum sane quattuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri Græco.* Aug., *Op. Omnia* T. III. P. II. p. 3. - Id. *De Cons. Evang.* 1. n. 4. p. 3.

dicasse, et Apostolos conversionem gentium non inchoasse, nisi postquam Evangelium Judæis in Palæstina degentibus annuntiaverint: ita ut ex Hebræis tantum, Græci sermonis ignaris, prima Christianorum Ecclesia conflata esset. Quanam ergo lingua nisi Aramaica, illorum domestica, Matthæus scripturus fuisset, ne quod alienigenis ceteri Evangelistæ eorum eloquio dabant ovibus, ad quas Christus missus fuerat, seminique Abrahæ deesset? [1]

Quod etiam suadent leges, mores, ritus, consuetudines Palæstinis peculiares relatæ [2], vocesque Hebraicæ nonnullæ sine ulla interpretatione usurpatæ, quæ a nemine, præter illos Judæos, intelligi poterant [3], itemque appellatio ea ætate Judæorum Palæstinensium propria [4] gentium ἔθνη, et ἐθνικοί, ethnici, in malam partem adhibita [5]; Hierosolyma *sancta civitas* [6], templum *locus sanctus* [7] appellatum; frequentissimus præ ceteris Evangelistis Scripturarum usus, sententiæ et doctrinæ Judæis magis accomodatæ ac opportunæ [8], iteratæ Scribarum, Pharisæorumque reprehensiones [9], fusiores notitiæ de iis rebus a Christo

[1] Michaelis, *Introd. au N. T.* T. III. p. 188.

[2] Matth., V. 21. 22. 23. 27. 28. 31. 33. 34. 36. 38. 43. - VI. 2. 5. 16. - XII. 5. XXII. 11. 12. - XXV. 1.

[3] Matth., V. 22. - XXVII. 6. - I. 21. - XXIII. 8. - II. 23.

[4] Matth., I. 1. - II. 1. - III. 2. - V. 16. - VI. 14. 33. - VIII. 12. - IX. 27. - X. 15. XI. 29. 30. - XIII. 39. - XVI. 18. - XXIV. 30.

[5] Matth., V. 47. - VI. 7. 32. - X. 5. - XVIII. 17. - XXIV. 9.

[6] Matth., IV. 5. - XXVII. 53.

[7] Matth., XXV. 15.

[8] Matth., I. 22. - II. 5. 15. - V. 17. - VI. 17. 18. - VII. 12. - X. 5. 6. 17. - XI. 23. - XII. 6. 11. 23. - XIII. 35. - XV. 24. - XX. 35. - XXI. 4. - XXIV. 15. 20. - XXVII. 35. - XXXIII. 8. 10.

[9] Matth., III. 7. - V. 20 - XXIII. 2. 39.

extra Judæam gestis, quum ex iis, quas in Judæa atque adeo in ipsa Hierosolyma patraverat, vix ullam Matthæus commemoret.

Quin etiam Cyrillus [1], qui utpote Archiepiscopus Hierosolymitanus præ ceteris patrias traditiones edoctus erat, ita ut summum auctoritatis testimonium suppeditet, non solum asserit, Matthæum suum Evangelium Hebraico sermone conscripsisse, sed deinde quindecim Hierosolymorum Episcopos ex Hebræis perpetua successione adsumptos et constitutos fuisse.

Quod etiam diserte confirmatur ab Eusebio [2], qui in Palæstina degebat, et omnes Episcoporum illius Ecclesiæ indices adcurate perlegerat. Nec me piget doctissimi Cæsariensis historiographi locum integrum recitare, cui maxima auctoritas tribuitur, et Epiphanii [3] testimonio confirmatur. *Illud tantum ex veterum scriptorum monumentis didici, ad illam usque obsessionem Judæorum, quæ imperante Hadriano contigit, quindecim Episcopos continua successione illi Ecclesiæ præfuisse: quos omnes origine Hebræos fuisse memorant..... Quippe tunc temporis universa Hierosolymitana Ecclesia conflata erat ex Hebræis fidelibus, qui jam inde ab Apostolorum ætate ad illam usque obsidionem permanserant, qua Judæi iterum a Romanis deficientes maximis prœliis domiti atque expugnati sunt. Proinde cum Episcopi, qui ex circumcisione erant, per id temporis defecerint, omnes a primo usque ad ultimum ordine suo recensere puto..... Omnium postremus fuit Judas, ordine quintodecimus. Atque hi omnino sunt Hierosolymorum Episcopi, qui jam inde ab Apo-*

[1] Cyril. Hier., l. c. Vide sup. p. XXIX. not. 2.
[2] Euseb., *Eccl. Hist.* T. I. lib. IV. c. V. p. 143. ed. c.
[3] Epiph., *Hær.* 66 - 211.

stolis usque ad Judam, et ad illa, quæ designavimus tempora, omnes ex circumcisione fuerunt [1].

Quindecim igitur extiterunt priores Hierosolymitani Episcopi, omnes ex Hebræis adsumpti, et circumcisionem retinentes, qui hanc sedem usque ad Hierosolymitanam sub Hadriani cladem (137. a. Ch.) tenuere, quum Hierosolymis primus ex gentibus constitutus esset Episcopus Marcus.

Nec dubitandum est in N. T. idiomate Ἑβραῖοι significare Judæos, qui patriæ linguæ usum non amiserant, et veteris legis mandata summa diligentia studioque servabant; dum ἑλληνισταί nuncupabantur, qui Ægyptum, et Asiam trans Syriæ fines, Ciliciam, Acajam, Phrygiam, Cappadociam incolebant Græce loquentes, patrium idioma obliti, et de legis observantia parum solliciti, ut controversiæ quæ in Actis Apostolorum enarrantur demonstrant [2].

Hebræi enim præsertim Palæstini tantum de linguæ, legisque minuta, ac scrupolosa observantia, sedula diligentia, ac religiosa cura anxie solliciti erant [3], ut proverbiale illis esset, quod haud procul a

[1] Hierosolymorum Episcoporum nomina hæc sunt I. Jacobus Domini frater, II. Symon, III. Judas, IV. Zachæus, V. Tobias, VI. Beniamin, VII. Joannes, VIII. Matthias, IX. Philippus, X. Seneca, XI. Justus, XII. Levi, XIII. Ephres, XIV. Joseph, XV. Judas. Euseb., l. c. Vide sup. p. XXXI.

[2] Acta Ap. VI. 1. XXII. 20. - II. Cor., XI. 22.

[3] *Homines Judææ,* בני יהודה שהקפידו על לשונם נתקיימה תורתם בידם *quia accurati fuerunt in lingua sua, confirmata est lex in manibus ipsorum:* quod glossa sic explicat, שהקפידו בלשונם בלשון צח idest *Studebant loqui lingua pura et eleganti.* Talmud, *Tract.* עירובין *Eruvim* fol. 53. 1. בני יהודה דייקי לישנא *Homines Judææ fuerunt accurati in lingua sua* Ib. אי איכא דמשאיל להון לבני יהודה דדייקי לישנא. *Si quis est, qui interroget homines Judææ, qui polita lingua utuntur.* Ib. p. 2. - Et apud Buxtorfium, *Lex. Chald. Talmud.* col. 435.

superstitione distaret, antiquissimum apophtegma, *qui linguam custodit, custodit legem.* Græcam vero contemptim ac probrose לעז [1] *barbaram,* scilicet *peregrinam, quæ intelligi non potest,* Talmudistæ appellant: immo etiam a gentium linguis eo modo abhorrebant, ut Titi obsidionis temporibus lex evulgata esset, qua altera convalebat Asmonæorum ætate indicta, ut nemo filium Græce erudiret [2].

Ex quibus argumentis et testimoniis facile colligitur, Aramaicam Hierosolymitanam dialectum Palæstinensium vernaculam fuisse, usque ad Hierosolymæ obsidionem sub Hadriano (137. a. Ch.).

Quapropter hæc lingua sacra fuit Hierosolymitanæ Ecclesiæ, e solis Hebræis congestæ, et hæc una utpote vulgaris ad veterem universæ Ecclesiæ consuetudinem in sacris faciendis adhibita est, ut liturgicus nostri Codicis usus palam facit. Hinc Matthæi authenticum [3] Evangelium ad Hebræorum utilitatem, et usum Aramaico sermone redactum est, et cetera etiam, quamvis Græce vulgata, tunc temporis hoc sermone

[1] Vox Hebraica est, et significat *barbare locutus est* מעם לעז Psal. 114. 1. *De populo barbaro.* Apud Talmudicos *barbare,* idest *Græce.* In Talmud Hier. fol. 7. col. 2. לעז in glossa exponitur יונית. Sic autem ab Hebræis in genere vocantur, qui Hebraice non loquuntur. Hinc R. Salomonis glossa ad locum citatum כל שאינו לשון הקודש נקרא לעז *Quidquid non linguæ sanctæ vocatur* לעז. Prorsus eo modo, quo vocarunt Judæi omnes gentiles Græcos, vocarunt Græci omnes gentes præter suam barbaras, et Josephus Flavius Græcam linguam ξένης διάλεκτον nuncupat. Talmud Hier. Tract. *Sotà* apud Ugolinum, *Thes.* T. xxx. col. 695. *Meghillà* c. I. f. 7, et c. II. in initio. - Buxtorfius, *Lex. Chald. Talmud* col. 1151. - Lighfoot, l. c. p. 132.

[2] שלא ילמד אדם את בנו יונית Talmud Hier.; Tract. *Sotà* apud Ugolinum, *Thes.* T. xxx. col. 734.

[3] Hier., *Op. Omnia Præf. Comm. in* c. 12. Matthæi T. VII. p. 3. ed. c.

translata Hierosolymitanæ Ecclesiæ usui fuere, saltem donec Judas, postremus Hierosolymitanus Episcopus ex circumcisione, defuit [1].

Quum jam demonstratum sit antiquis testimoniis, sequioris ævi scriptorum suffragio accedente, quodnam Palæstinensium ad Christi tempora, et sequenti saltem sæculo, vulgare eloquium fuerit, nunc de Codicis nostri idiomate diligenter pertractandum est.

Abundantia quiescentium, *scriptio plena* nuncupata, quæ semper occurrit, et orthographia inconstans, et irregularis, maximæ antiquitatis indubium argumentum præbent: quum tanto incultior et antiquior lingua sit, quanto minus fideliter orthographiæ normæ adhæreat, donec politiore ævo, ut diximus, vulgaris eloquii mutabili arbitrio erepta, a grammaticis, classicisque auctoribus fixis immutabilibusque legibus subjecta sit: ut ܬܝܬܠܘܢ pro ܬܬܠܘܢ, ܐܝܙܠ pro ܐܙܠ, ܬܝܥܒܕܘܢ pro ܬܥܒܕܘܢ, ܟܠܐ pro ܟܠ, ܠܝܗ pro ܠܗ, ܩܝܐܡ pro ܩܐܡ, ܠܝܒ pro ܠܒ, ܐܬܪܘܡܡ

[1] Πρῶτος ἐξ ἐθνῶν ἐπίσκοπος Ιεροσολύμων Μάρκος. *Hierosolymis primus ex Gentibus constituitur Episcopus Marcus, cessantibus his, qui fuerant ex Judæis.* Euseb., *Cron.* apud. Hier. *Op. Omnia.* T. VIII. p. 712. sub. anno 137. - Καὶ δὴ τῆς αὐτόθι Ἐκκλησίας ἐξ ἐθνῶν συγκροτηθείσης, πρῶτος μετὰ τȣ̀ς ἐκ περιτομῆς Ἐπισκόπȣς, τὴν τῶν ἐκεῖσε λειτȣργίαν ἐγχειρίζε ται Μάρκος. *Et cum Ecclesia ejusdem loci ex gentibus coaluisset, primus post Episcopos ex circumcisione Sacerdotium illius civitatis suscepit Marcus.* Id. *Eccl. Hist.* T. I. l. IV. c. VI. p. 126. - Νάρκισσος· πεντεκαιδεκάτην ἄγων διαδοχὴν, ἀπὸ τῆς τῶν Ιȣδαίων κατὰ Ἀδριανὸν πολιορκίας· ἐξ ȣ̃ δὲ πρῶτον τὴν αὐτόθι Ἐκκλησίαν ἐξ ἐθνῶν συςτῆναι μετὰ τȣ̀ς ἐκ περιτομῆς, καθηγήσασθαί τε αὐτῶν πρῶτον ἐξ ἐθνῶν Ἐπίσκοπον Μάρκον ἐδηλώσαμεν. *Narcissus quintumdecimum successionis locum obtinuit post obsessionem illam Judæorum, quæ Hadriano regnante, facta est. Ex quo quidem tempore Ecclesiam illius loci primum ex Gentibus coaluisse post eos, qui ex circumcisione fuerunt, primumque ex Gentibus Marcum illis præfuisse retulimus.* Id. T. I. lib. V. c. XII. p. 193.

pro ܬܪܘܗܨ, et alia plura, quæ etiam in Targum et Talmud Hierosolymitano [1] observantur.

Interdum nominibus pluralibus, quam sæpissime vero futuris et participiis verborum quiescentium tertiæ radicalis ܐ hanc litteram librarius puncto superno pro ܚܒܨܐ, sive ܙܠܡܐ ܦܫܝܩܐ adnotavit, ut ܫܩܐ, ܐܬܐ, ܒܪܐ. Aliquando etiam ܐ in ܝ post ܪܒܨܐ vel ܙܠܡܐ, mutatur in nomina pluralia, et verba, ut ܦܪܝܫܝܢ, ܢܥܒܕܝܢ, ܡܫܡܥܝܢ, pro ܦܪܝܫܝܐ, ܡܫܡܥܝܐ, ܢܥܒܕܝܢܐ, et Matth. XVI. 18. p. 553. ܘܬܪܥܐ ܕܫܝܘܠ ܠܐ ܢܬܟܠܝܢ, pro ܬܟܠܝܐ, et Luca I. 15. p. 549. ܘܚܡܪ ܘܫܟܪܐ ܠܐ ܢܫܬܐ ܡܢ ܟܪܣ ܐܡܗ, pro ܢܫܬܐ. Mendosam hanc scriptionem, quæ etiam in Targum et Talmud [2] Hierosolymitanum occurrit, Palæstinensium consuetudini pronuntiandi ܙܠܡܐ ܦܫܝܩܐ (quod haud multum a ܚܒܨܐ, semper ܝ antecedente, differt) tribuendam esse censeo; eo magis quod Chaldæi præsertim Persiam incolentes hanc pronuntiationem τοῦ ܙܠܡܐ ܦܫܝܩܐ [3] nunc etiam tum in libris legendis, tum in vulgari eloquio servent.

[1] Talmud Hier., סדר ישועות p. 18. versa col. 1. הוה קאים מצלי עאל רב - Ib. שרי רב כהנא מאריך בצלותיה - כהנא וקם ליה מן הורי מצלי - Ib. סדר נשים p. 63. versa col. 2. מקדיש ליך - Ib. p. 38. versa col. 2. ראית פלגון - Ib. סדר ישועות p. 22. versa col. 1. הדה מילתא pro מלתא.

[2] Talmud. Hier., סדר ישועות p. 23. versa col. 1. שרי ההיא תלמידא דאבבי pro בכא - Ib. p. 7. col. 2. בבליי pro בבליא - Ib. p. 23. versa col. 1. אע״פ כן בליבי השבית בפומי לא אמרית.

[3] In gratiam illorum, qui Orientalium linguarum patienti studio assiduam operam non dederunt, aliquid subjicere non inutile puto ad vocalium nomina et pronuntiationem tum apud Syros, tum apud Chaldæos explicandam. — Quinque sunt apud utrosque vocales, quorum nomina priora Syrorum, secunda Chaldæorum demonstrabunt. - I. ܦܬܚܐ *Ftoho, Ptaha.* - II. ܙܩܦܐ *Skofo, Skapa.* - III. ܪܒܨܐ, ܙܠܡܐ *Rbozo, Zlama.* - IV. ܚܒܨܐ *Chbozo, Chbaza.* - V. ܥܨܨܐ *Ezozo, Azaza.* Quod attinet ad pronuntiationem, utrique

Jud pro *Nun* præformativum usurpatur in tertia futuri singularis persona, et interdum pro ܐ primæ, ut in Talmud et Targumim. In verbis, quorum tertia radicalis gutturalis est, in futuro et imperativo non ad politiorem Syriacam normam media radicalis *Ftocho* adornatur, sed ad vetustam consuetudinem ܘ pro *Ezozo* ponitur, ܢܫܡܘܥ pro ܢܫܡܥ, ܢܥܒܘܪ pro ܢܥܒܪ, ܢܦܬܘܚ pro ܢܦܬܚ, ܢܫܡܘܥܗ pro ܢܫܡܥܗ.

Suffixum pronominis tertiæ personæ fœmininæ aliquando puncto superno adornatur, ad distinctionem suffixi ejusdem personæ masculinæ, ut etiam *Ribui*, ܪ̈ܒܘܝ, quæ a nostro amanuensi addita puto; quum David Bar-Pulos in sua Grammatica testetur, veteres *Ribui*, ܪ̈ܒܘܝ, adpingendi morem nondum secutos esse, sed pluralia a singularibus distinxisse per ܙܠܡܐ.

Pronomen suffixum tertiæ personæ masculinæ singularis nomini plurali adjunctum scribitur Palæstino more [1] ܘܝ pro ܘܗܝ. Pronomen primæ personæ pluralis, sive solum, sive suffixum, numquam juxta correctiorem Aramaicum ܚܢܢ, vel ܢ adhibetur, sed semper Hierosolymitanæ dialecti propria forma ܐܢܢ, vel ܢܢ.

Participium additum pronomini personali pro præsenti et præterito adhibetur; imperfectum vero non ad elegantiorem Syrorum consuetudinem verbum substantivum ܗܘܐ aliud verbum sequitur, ut ܐܬܐ ܗܘܐ, sed constanter antecedit, ut ܗܘܐ ܐܬܐ.

primam pronuntiant *A*: secundam Syri *O*, Chaldæi vero *A*: tertiam Syri semper *E*, quæ apud Chaldæos duplici effertur sono, primum, quem ܙܠܡܐ ܦܫܝܩܐ, *Zlama pscika* vocant, *E*, secundum, quem ܙܠܡܐ ܩܫܝܐ, *Zlama Kascia* nuncupant, *I* pronuntiant: quarta apud utrosque *I*, sonum habet; et quintam dum Syri semper *U*, Chaldæi interdum *O*, interdum *U*, proferunt.

[1] Talmud Hier., סדר ישועות p. 18. versa col 1. וצלי עלוי pro ܥܠܘܗܝ.

Voces ܓܪܡܐ [1] *os*, ut mos est Hierosolymitanæ dialecti semper pro pronomine *ipse*, ut ܥܠ ܓܪܡܝ *de memetipso*, ܥܠ ܓܪܡܗ *de seipso*, et ܡܠܐ Matth. V. 32. p. 117. pro Rabbinorum דבר usurpantur. Etymologiam Palæstinæ vocis ܟܣܝܕ [2] in Glossario demonstrabo, sed ejusdem usum valde frequentem in Codice nostro enuntiare instituti mei esse arbitror.

Hæc summatim dixisse sufficiet; textus autem attenta lectione et Glossarii studio palam fiet, nostri Codicis linguam esse asperam, incomptam, contractionum et pleonasmûm amicam, litteras distinctas confundentem, elegantiæ nesciam; sed robustam, sensus tenacissimam, valde perspicuam, ab ambiguitate penitus alienam, rustica vero quadam, et antiqua simplicitate ac venustate præditam.

Ex quibus satis superque liquet, vocum structuram, verborum genus, et contractiones, litterarum permutationes, et syncopes, formas anomalas, idiotismos, grammaticæ et syntaxeos inobservantiam, vetustam simplicitatem demonstrare. Dialectus enim nostri Codicis proprietatem, elegantiam, et perfectionem idiomatis Jacobi Edesseni, et Efræmi longa ætate antecedit; et quamvis plane Aramaica, vivido tamen colore Hebraismi refulget; et in nominum, pronominum, verborumque formis, peregrinis vocibus, periodorumque ambitu τοῦ Targum, et Talmud Hierosolymitani dialecto quam proxime accedit; ea tamen ratione, ut si quædam levis differentia inter utrasque deprehendatur, aliquanto anteriori ætati, qua ἀρχέτυπον nostri Codicis redactum fuerat, tribuenda sit.

[1] Talmud Hier., p. 76. versa col. 2. שמערת והנקרת גרמה׃

[2] Talmud Hier., p. 20. col. 2.

III.

De Ritu

Cuinam ritui Evangeliarium nostrum addictum fuisset lucide patet a lectionum ἀναγνώσματα, seu περικοπαὶ divisione, Festorum ordine, et nominibus per anni circulum, quæ, levibus differentiis exceptis seriore ætate inductis, eadem sunt, quibus nunc etiam utuntur Syri illi, Syriam et Ægyptum incolentes, qui Græci Melchitæ hodie quoque nuncupantur.

Hoc nomen illis obtigit non ob Græcam illorum originem, et progeniem, sed quod partibus Justiniani Pogonati Imperatoris studuere, ut historica testimonia et nomen demonstrant. Melchita enim significat *imperialis* vel *regius*, quod argumento est eorum nomen factionis civilis, non abdicatæ religionis notam fuisse [1].

Evangelium Arabicum, quo Melchitæ nunc etiam utuntur, plerumque cum nostro convenit, exceptis Lectionibus I. Dominicæ post Pentecosten, quas Arabicum ad singulos hebdomadæ dies confert; dum in Codice nostro lectiones tantummodo occurrunt ad Dominicas, et Sabbata, in quibus tamen ambo conveniunt. Post autem Dominicam IV. Festum Crucis subsequentem, occurrit Dominica V., et inde Sabbatum V., quod Dominicam V. antecedere debuerat.

In Quadragesima lectiones utrobique eædem sunt tum Sabbatorum, tum Dominicarum. In Sanctorum commemorationibus per anni circulum nullum discrimen exstat, præter nonnullas leves mutationes, aut additiones, recentiore ætate inductas. Quocirca eruitur Codicis nostri ritum eumdem ac Melchitarum esse.

[1] Assem., *Bibl. Or.* T. I. p. 507, et 524.

IV.

De Familia

Æquo jure Eichornus [1] asserit nullam fortasse linguam plures versiones, editiones, et recensiones versionum præcedentium ostendere posse quam Syriacam. Attamen universæ Orientales Ecclesiæ, quæ in sacris faciendis Aramaicam hactenus linguam adhibent, Maronitarum [2] scilicet, Syrorum, et Chaldæorum, sive Catholicæ, sive Jacobitæ aut Nestorianæ, versione, quæ ܦܫܝܛܬܐ Pscittha, vel Fscittho [3] idest *Simplex* nuncupatur, post hominum memoriam in liturgia utuntur. Maximæ nempe est apud illos auctoritatis, ut Vulgatæ apud Occidentales, summisque celebrant laudibus, nec antiquam tantum, sed *sanctam, beatamque* ܛܘܒܢܐ vocant [4]. Nec minorem æstimationem apud nostrates sibi vindicavit, quamvis nonnulli ut Fullerus, Grotius, Vossius, Bochartus, Westenius, Renaudotius, Branca, Semlerus, Griesbachius, et alii ejusdem antiquitatem et præstantiam parvi fecerunt. Attamen doctiores Aramaicarum litterarum magistri, et viri harum rerum peritiores, qui summi habentur in rebus criticis, ut Waltonus [5], Ridleius [6], Michaelis [7],

[1] *Einleitung ins. Alte T. Lipsiæ* 1780. T. I. §. 246. p. 435. Wiseman duodecim præcipuas, aliasque recenset, l. c. p. 82. et 83.

[2] Maronitæ a Catholica veritate nunquam deflexerunt, ut luculentissime demonstrant Assem., *Bibl. Or.* T. I. p. 473. 506. - Naironus, *Evoplia* Romæ 1694. p. 58. - Id. *Dissert. De Orig. Nom. ac Rel. Maronitarum.* Romæ 1679.

[3] Albertus Widmanstadius, opera Mosis Maredinensis primus hanc versionem edidit Vindobonæ anno 1555, Ferdinandi I. Imperatoris impensis.

[4] Wiseman, l. c. p. 158. - Wichelhaus, l. c. p. 61.

[5] Walton, *Prol.* T. I. §. XIII. p. 90. 91.

[6] Ridlejus, *De Syr. N. T. vers. Indole.*

[7] Michaelis, *Curæ in vers. Syr.* Acta Ap. Gœttingæ 1775.

Adlerus [1], Storr [2], Wiseman [3], De Rossi [4], Scholtius [5], Wichelhaus [6], et alii una voce consentiunt, vetustissimam, accuratissimam, intactam et illibatam, summo studio apud Syros transcriptam et servatam fuisse. Ejusdem enim Codices haud pauci habentur, qui Vaticano fere, et Alexandrino ætate æquiparandi, vel etiam anteponendi sunt: nec editionum et codicum tantum, sed apud totius Orientis Ecclesias explorata est æqualitas. Immo etiam Michaelis [7] non dubitat eam omnium versionum, quas noverit, optimam appellare, cujus præ ceteris omnibus pauciora sunt vitia, quam sæpenumero et libenter consuluerit, et cum Vulgata omnium, quæ nobis supersunt, veterrimam. Locus, tempus, et auctor versionis certa fide haud comperti habentur; sed antiquissimam traditionem Adæi, sive Thaddæi Apostoli aut Discipuli, primi Edesseni Episcopi diebus, aut probabilius Aggæi socii Mares, et discipuli Adæi Edessæ [8] sub patrocinio Abgari [9] Uchamæ,

[1] Adler, *N. T. vers. Syr. denuo examinatæ.* Hafniæ 1789.

[2] Storr, *Observationes super vers. N. T. Repertorium für Bibl. und Morgenl. litter.* T. VII. p. 1. ad 77. T. X. p. 1. ad 78.

[3] Wiseman, l. c. p. 100. 107., et seq., et 117.

[4] De Rossi, *Variæ Lect. V. T.* Parmæ 1784. *Prol.* P. I. §. XXIX. p. XXXII.

[5] *Curæ Crit. in Hist. Textus Evangel.* Heidelb. 1820. p. 39.

[6] Wichelhaus, l. c. p. 236.

[7] Michaelis, *Intr.* T. I. p. 507. 528.

[8] Ex Adiabene, vel Nisibi Edessam Simplicem versionem advectam fuisse Wichelhaus putat. l. c. p. 121.

[9] De Abgari Epistola, quam ex ipsis Edessenorum tabulariis descriptam, et a Syriaco sermone in Græcum translatam Eusebius exhibet, *Eccl. Hist.* L. I. c. XIII. T. I. p. 35, et seq., cujusque meminerit Ephræm, Jacobus Serugensis, Chronicon Edessenum, et alii, diversa sunt eruditorum judicia, ejusque μνησιότητα in dubium revocatur, sed sinceram ac genuinam esse non contemnendis argumentis probant Cave, *Hist. lit.* T. I. p. 2. - Assemani *Bibl.*

scilicet *Nigri,* Toparchæ apostolicis temporibus elaboratam fuisse certa et constans fama est [1]. Hoc enim suadet luculentissimum testimonium Bar-Hebræi [2], Syrorum κριτικώτατου et eruditissimi, qui utpote Jacobita, quamvis Simplicis versionis non amicus, eam supparem Apostolorum ævo ex communi traditione diserte testatur, nec non pervetustus Evangeliorum liber Edessenus, in Ecclesia Ædium Romæorum in urbe Bagdado adservatus, cui subnexa hæc epigraphe legebatur: *Absolutus est Sanctus iste liber Feria V. Canun Prioris, anno Græcorum* 389. (78. a. Ch.) *propria manu Achæi Apostoli, socii Maris discipuli Mar Adæi Apo-*

Or. T. I. p. 318. 420. 554., et Wiseman *Horæ Syr*. p. 100. Nuperrime vero Cl. Curetonus in Syriacis manuscriptis Musæi Britannici invenit maximam partem Aramaici documenti, quæ Eusebius ex Edessenis tabulariis exscripsit. *The Festal letters of Athanasius* p. XXXIII. Abgarum vero legationem ad Christum misisse ex omnium Syrorum Patrum unanimi sententia a Græcis Latinisque scriptoribus confirmata, nihil est quod ambigatur. Proinde etiamsi ejusdem auctoritas non satis certa ac probata videretur, profecto ea lingua scribenda erat, qua tunc in illis provinciis utebatur. De Abgaro plura, vide Wichelh. l. c. p. 92, et seq.

[1] Hanc sententiam tuentur Assemani, *Bibl. Or*. T. II. p. 24: Editores Ephræmi *Præf*. ad T. III., et plurimi doctioresque N. T. Syriaci Editores, quorum judicia refert Gutbirius in sua Præfatione N. T.

[2] ܚܠܦܗ ܕܝܢ ܕܗܕܐ ܦܫܝܛܬܐ. ܬܠܬ ܡܬܡܪ̈ܢܘܬܐ ܗ̈ܘܝ. ܚܕܐ ܕܡܢ ܕܒܝܘܡܝ ܕܫܠܝܡܘܢ ܘܚܝܪܡ ܡ̈ܠܟܐ ܐܬܦܫܩܬ. ܘܐܚܪܬܐ ܕܐܣܐ ܟܗܢܐ. ܟܕ ܫܕܪܗ ܐܬܘܪܝܐ ܠܫܡܪܝܢ ܐܦܫܩܗ. ܘܬܠܬܝܬܐ ܕܒܝܘܡܝ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ ܘܐܒܓܪ ܡܠܟܐ ܕܐܘܪܗܝ ܐܬܦܫܩܬ. ܐܡܬܝ ܕܐܦ ܠܐܘܢܓܠܝܘܢ ܚܕܬܐ ܒܗ ܒܦܫܝܛܘܬܐ ܡܦܫܩܝܢ ܐܦܫܩܘ. *Quod vero spectat ad hanc Syriacam (Versionem) tres fuerunt sententiæ; prima quod tempore Salomonis et Hiram Regum conversa fuerit, secunda, quod Asa Sacerdos, quum ab Assyria missus fuit Samariam, eam transtulerit; tertia tandem quod, diebus Adæi Apostoli et Abgari Regis Osrhoeni versa fuerit, quando etiam Novum Testamentum, eadem simplici forma traductum est.* - Assemani, *Bibl. Or*. T. II. p. 24. 279. 391: et T. III. P. II. p. II: et VIII. - Wiseman, l. c. p. 91.

stoli [1]; et tandem antiquus et universalis Orientalium Ecclesiarum consensus, et usus liturgicus [2], cui multum in hoc tribuendum est; tum religio, qua servata fuit in tantis calamitatibus, quas Antiochena Ecclesia perpessa est, tum dialectus et Græcarum vocum admixtio, quod etiam confirmant ratumque habent Hieronymus, Jacobus Episcopus Serugensis, et Jesudadus Hadathæ Episcopus [3].

Neque id improbabili argumento, quum ex Actis Apostolorum [4] et Eusebio [5] colligatur, Antiochiæ primam, post Hierosolymitanam, Christianorum Ecclesiam constitutam fuisse, Thomam Edessam Thaddæum Christianæ doctrinæ præconem nuntiumque misisse, omnesque ejusdem regionis incolas ad fidem perduxisse. Necesse enim erat Evangelium vulgari eloquio plebi, quæ Græca nesciret, legere et interpretari; nam quamvis in quibusdam civitatibus plurimi Græci illic immorantes Græce

Wichelhaus, l. c. p. 60. 87. 213. 236. - Bar-Hebræus interdum formas grammaticæ regulis minus probatas etiam reprehendit.

1 *De quodam pervetusto Evangelio, quod exstabat in sacra Ecclesia Ædium Romæorum in urbe Bagdado. Erat quodam Evangelium Edessenum* (hoc est Syriacum Edessæ exaratum) *pervetustum quidem, sed clarum ac dilucidum, ex quo ne jota quidem unum deletum fuerat, legebatur autem clarius quam libri recens exarati, et unus dumtaxat prior quinternio præ antiquitate ex eo exciderat. Ad ejus vero calcem ita scriptum erat:* ܐܫܬܠܡ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܡܒܪܟܐ ܒܝܘܡ ܫܒܥܣܪܐ ܒܗ ܒܐܝܪ ܫܢܬ ܬܫܥ ܬܠܬܡܐܐ ܘܫܬܝܢ ܘܬܠܬ ܕܝܘܢܝܐ ܒܡܕܝܢܬ ܐܘܪܗܝ ܐܟܣܢܝܐ ܥܠܝܡܐ ܫܒܝܪܐ ܕܟܬܒ݀ ܡܚܝܠܐ ܘܠܡܬܠܒܢܐ ܕܟܬܒ݀ ܐܚܐ ܥܠܝܡܐ ܠܡܬܠܝܗ ܥܡ ܐܚܝܢ. Assem., *Bibl. Or.* T. II. p. 486. - Scribitur etiam ܐܚܝܢ.

2 Michaelis, *Intr.* T. I. p. 480. - Assem., *Bibl. Or.* T. II. p. 24. - Wichelhaus, l. c. p. 60. 213.

3 Assem., *Bibl. Or.* T. I. *Prol.* - Ib. p. 317., et T. III. P. I. p. 212.

4 Acta Ap. XI. 20. 26.

5 Euseb., *Hist. Eccl.* T. I. L. II. c. I. p. 42.

loquerentur usque a Syrorum Macedonum temporibus, tamen Syri nunquam lingua sua vulgari et domestica desciverant [1].

Equidem Aramæi hanc versionem plurimi faciunt. Verbum enim verbo illa reddit, ita ut a litterali translatione non deflectat, nisi ubi verborum ambitus ab Aramaici idiomatis puritate plane abhorreat. Voces originales Græcas, et quasdam Latinas non respuit, præterea perspicua est, ac simplicis elegantiæ et puritatis haud oblita, et quamvis Adulteræ historia, et duo Commata Lucæ (XII. 17. 18.), ut in Heracleensi, desiderentur: Græci textus tamen (præsertim ad Alexandriæ et Occidentis Codicum lectionem) exemplar fideliter præbet, et ad Veterem Italam proxime accedit. A priscis vero temporibus ad ætatem Ephræmo longe posteriorem, hujus versionis quævis fere linea, litterarumque apices censoriam Syrorum curam sollicitarunt [2]: et tanto sacrarum litterarum studio Syriæ monachi flagrabant, tantaque cura ac diligentia in Codices describendos sedulò incumbebant, ut omnium, qui nobis supersunt, fere una et communis lectio sit, præter fragmenta a Cl. Curetono [3] edita ex Codice a Syrorum Deiparæ Ægyptio cœnobio ab Archidiacono Tattam a. 1842 in Angliam advecto, quorum tamen antiquitas et ætas nobis serio suspecta videtur.

Hæc Fragmenta etsi ejusdem versionis esse putamus, tamen Lehir [4] existimat, probabilius caruisse recensione, cui elaboratior et correctior

[1] Ruinart, *Acta Mart.* T. II. p. 318.-Euseb., *De Martyr. Pal.* T. I. c. I. p. 357. in not. C.-Assem., *Acta SS. Mart. Orient. et Occident.* Romæ 1748. P. II. p. 166.

[2] Wichelhaus, l. c. p. 61. et 126.

[3] *Remains of a very ant. recention of the four Gospels in Syriac.* London 1858.

[4] *Étude sur une anc. vers. Syr. des Evang. rec. dec. et publiè par le* D.r Cureton. Paris 1859.

textus τῆς *Pscittha,* qui ad nos pervenit, subjectus fuit, eodem proxime modo quo Hieronymus Vulgatam ex Vetere Itala laboriosa concinnavit industria. Huic tamen sententiæ, quam rationabilibus argumentis demonstrare ille satagit, plane adhærere non possum, quum nullum testimonium, nec ulla mentio hujus recensionis ab aliquo auctore patratæ apud Syros et Chaldæos auctores exstet. Huic sane si subjecta fuisset, res memoratu digna nequaquam prætermissa esset, quamvis a grammaticis ad linguæ elegantiam hic illic recognita et expolita.

A Græci vero textus auctoritate, et ejusdem in controversiis usu orta est apud Nestorianos et Jacobitas necessitas novæ versionis. Proinde initio VI. sæculi (508) Mar Xenaias [1], seu Philoxenus Hieropolitanus (Mabug) Episcopus Monophysita (485-518) Polycarpo [2] Chorepiscopo suo præcepit, ut illam conficeret. Studio accuratissimo summoque labore opus absolutum est anno 508, et *Philoxeniana* appellata, quam demum centum circiter post annos (616) Thomas Heracleensis Germaniciæ *(Banicicæ)* Episcopus a sua sede expulsus, Alexandriæ rescripsit, et studiosissime collatam recensuit: quamobrem a Syris et Chaldæis plerumque, ܗܪܩܠܝܬܐ, *Harclaitha* [3] nuncupatur, eaque Jacobitæ in divinis officiis interdum utuntur [4].

Servilis potius quam litteralis tantum, verborum ordini anxie inhæret, vocibus compositis utitur, Græcos articulos etiam reddere studuit,

[1] Assem., *Bibl. Or.* T. I. p. 352. - T. II. p. 23. - T. III. P. I. p. 383.

[2] Assem., *Bibl. Or.* T. II. p. 83.

[3] Hanc versionem primum integram ex Cod. Ridleiano edidit Cl. White, Oxonii 1778 - 1803. cum Interpret. Prol. et Annot.; et postea Bernstein Evangelium Joannis tantum Syriace, Lipsiæ 1853.

[4] Assem., *Bibl. Or.* T. II. p. 90, et seq. 94, et 334.

variantes interdum in textum induxit [1], τῆς *Pscittha* elegantiæ et auctoritati non æquiparanda, sed cura studioque digna.

Hisce omnibus, Curetoni fragmentis non exceptis, antiquiorem nostri Codicis textum esse facile sibi quisque persuadebit, si in ejus linguæ studium sedulus incubuerit, intimeque perscrutando quæ expendi debent, animo præjudiciis immuni diligenter æstimaverit. Est enim, quemadmodum demonstravimus, vulgaris Palæstinensium ad Christi tempora sermo, idem prorsus quo Targum, et Talmud Hierosolymitana conscripta fuerunt. Nulla igitur necessitas fuisset novæ versionis concinnandæ provinciali incompta dialecto, post Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersionem, quum jam τῆς *Pscittha* usus, et auctoritas tanta, et universalis in Oriente esset. Quæ tamen plane conveniens foret Apostolorum ævo, illorum maxime gratia, qui in Jesum crediderant ex Hebræis, e quibus tantummodo Hierosolymitana Ecclesia constabat, et ab ea ætate usque ad Hadriani obsidionem permansit.

Quum autem demonstratum sit historicis testimoniis, et ratione, Matthæum Evangelium suum Hebraico sermone conscripsisse, Judæorum scilicet Palæstinensium tunc temporis vulgari idiomate, adducor ut credam, hoc Matthæi authenticum esse. Id mihi præterea suadet stylus, verborumque ambitus, qui præ ceteris Evangeliis solutus procedit, nec interpretis laborem ostendit, et quamdam puriorem Hierosolymitanæ dialecti proprietatem præfert. Cetera autem Marci, Lucæ, et Joannis Evangelia eadem aut paullo seriore ætate a Græco translata credo. Quod etiam confirmatur ab Adulteræ historia (Joan. VIII. 3. 11.)

[1] Valroger, l. c. T. I. p. 323.

Syris ignota, ut testantur Maras Episcopus Amidæ, Bar-Salibi, et Bar-Hebræus [1] Syrorum doctissimus, et Lucæ Commata (XXII. 17. 18.), quæ in *Pscittha* et *Heracleensi* desiderantur, et in Curetoni fragmentis manifeste corrupta leguntur, sed in nostro Codice nitide occurrunt.

[1] ܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ ܕܝܢ ܒܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܠܗ ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܡܪܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܒܩܢܘܢܐ ܕܬܫܥ ܘܬܡܢܝܢ ܪܝܫܐ ܕܡܝܚܕܐܝܬ ܐܡܝܪ ܠܝܘܚܢܢ ܒܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܠܗ ܘܠܐ ܟܬܝܒ ܒܨܚܚܐ ܐܚܪ̈ܢܐ: ܦܣܘܩܐ ܕܐܝܟ ܗܢܐ: ܕܗܘܐ ܒܚܕ ܡܢ ܝܘܡ̈ܝܢ ܟܕ ܡܠܦ ܝܫܘܥ. ܩܪܒܘ ܠܗ ܐܢܬܬܐ ܚܕܐ ܘܓܪ. *Exstat autem in Evangelio ejusdem Sancti Maræ Episcopi, Canone octogesimo nono, caput singulare Evangelii Joannis, quod in aliis exemplaribus non habetur. Est vero hujusmodi:* Factum est quadam die quum doceret Jesus, obtulerunt ei mulierem quandam etc. ܐܫܬܟܚ ܕܝܢ ܒܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܡܪܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܡܕ. ܐܝܢܐ ܕܝܠܦܐ ܗܘܐ ܝܘܢܝܐ ܐܝܟ ܕܟܬܒ ܙܟܪܝܐ ܪܝܛܘܪܐ ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܡܠܝܛܝܢܐ ܒܩܢܘܢܐ ܕܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܬܫܥ ܘܬܡܢܝܢ ܪܝܫܐ ܝܚܝܕܝܐ ܕܝܘܚܢܢ ܕܠܐ ܐܝܬܘܗܝ ܒܟܠܗܘܢ ܨܚܚܐ ܘܐܦܠܐ ܚܕ ܡܢ ܚܕ ܡܢ ܡܦܫ̈ܩܢܐ ܕܐܬܪܐ ܥܠܘܗܝ ܚܙܝܢ ܐܠܐ ܐܬܚܙܝܬ ܠܢ ܕܢܟܬܒܝܘܗܝ، ܠܟܠܗ ܟܬܒܐ ܕܡܠܬܐ ܒܕܘܟܬܗ. ܘܗܘܐ ܒܚܕ ܡܢ ܝܘܡ̈ܝܢ ܟܕ ܡܠܦ ܝܫܘܥ ܩܪܒܘ ܠܗ ܣܦܪ̈ܐ ܘܦܪ̈ܝܫܐ ܐܢܬܬܐ ܚܕܐ ܕܐܬܬܚܕܬ ܒܓܘܪܐ ܘܒܛܢܬ. *Repertum est autem in Evangelio Maræ Amidæ Episcopi, qui Græci sermonis peritus erat, ut Zacharias Rhetor et Episcopus Meletinensis scribit, in Canone Evangelii octogesimo nono, caput singulare Joannis, quod non in omnibus exemplaribus exstat, neque ipsum a quopiam Interprete illustratum vidimus. Quare visum nobis est totum textum suo loco describere.* Et factum est quadam die, quum Jesus doceret, obtulerunt ei Scribæ, et Farisæi mulierem quandam, quæ ex adulterio concepisse deprehensa fuerat. Apud Assem., *Bibl. Or.* T. II. p. 53. ܘܒܬܪ ܦܬܓܡܐ ܕܢܒܝܐ ܡܢ ܓܠܝܠܐ ܠܐ ܩܐܡ: ܐܫܬܟܚ ܒܨܚܚܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܦܣܘܩܐ ܕܥܠ ܓܘܪܬ ܘܐܬܝܘܗ̇ ܐܢܫܝܢ ܠܘܬ ܝܫܘܥ ܐܢ ܢܬܠ ܠܢܡܘܣܐ ܕܪܓܡܗ̇. ܗܘ ܕܝܢ ܟܕ ܐܬܪܟܢ ܟܬܒ ܚܛܗܝܗܘܢ ܕܟܠ ܚܕ ܡܢܗܘܢ ܥܠ ܐܪܥܐ: ܘܫܒܩܘܗ̇ ܘܐܙܠܘ: ܝܫܘܥ ܕܝܢ ܐܡܪ ܠܗ̇ ܙܠܝ ܘܡܟܝܠ ܠܐ ܬܚܛܝܢ. *Post illum versiculum,* Propheta non surget ex Galilæa, *repertum est in Codice Alexandrino caput de muliere adultera, quam quidam ad Jesum adduxere, num legi lapidationis ejus consentiret. Ipse vero inclinatus, uniuscujusque eorum peccata in terra scripsit, et illi relicta ea abierunt. Jesus autem dixit: Vade, et noli amplius peccare.* Ib. T. II. p. 169.

Nec omittendum est pronomen tertiæ personæ, quo interdum *Pscittha,* jugiter *Heracleensis* pro Græco articulo utuntur, in nostra versione nunquam occurrere, et vocem ܡܠܬܐ semper generis fœminini in nostro Codice usurpari, dum in *Pscittha* et *Heracleensi,* quum λόγος sonet, semper masculino genere adhibetur; quod etiam, utpote theologicas disquisitiones præcedens, antiquitatis non leve argumentum est, ut Romanorum nomen pro milite usurpatum, quod in nullo Evangeliorum Codice aut versione occurrit, coævum sapit.

Animadvertendum tandem est, Commata Lucæ VIII. 9. — 15, quæ ad paginam 181. occurrunt, quamdam dictionis differentiam ostendere. Præcipue usus verbi ܚܙܐ pro ܚܡܐ, et ܢ præformativi pro ܝ, ad Syriacum morem contra Hierosolymitanæ dialecti constantem consuetudinem probabiliter evincit, Commata hæc non ejusdem textus ætatem gerere, sed posterius addita fuisse, quamvis cum Pscittha non conveniant. Postrema vero lectio Matthæi XV. 21. — 28. p. 518. ab Apographi nostri auctore procul dubio a Pscittha addita et mutuata est.

Postremo tandem de Codicis nostri usu, deque ejus auctoritate in re critica agere nobis superest. Inter liturgicos recensendum esse ex lectionum divisione et titulis omnibus manifeste patet. Horum Ecclesiasticorum Codicum auctoritatem et præstantiam præ ceteris demostrare omnino otiosum foret; ad illustrationem tamen subjiciam quæ hac de re apte jugiterque scribebat Cl. D.r Mills [1] in suis Prolegomenis. *Ceterum inter Codices Ecclesiarum et privatorum hominum, hoc fere interfuit, quod isti, prout e librariorum manibus exierant, emaculati, notulisque mar-*

[1] L. c. p. 287.

ginalibus liberi fere, integri in Ecclesiarum tabulariis remanserint; hi vero, ab ipsis, in quorum gratiam fuerunt conscripti, statim fere inter lineas, aut ad marginem, glossis scholiisque fuerint conspersi, maximopere in id incumbentibus Sacrarum Literarum studiosis, ut Textum Sacrum, quem apud se habebant, explicationem suisque usibus magis indies ac magis idoneum redderent. Hinc apud Clementem Alexandrinum, qui sub finem sæculi secundi floruit, mentio fit τῶν τὰ εὐαγγέλια μετατιθέντων, *sive Scholiastarum, qui jam ab initio libris istis ad oram aut spatio interlineari explicatiunculas suas illiverant. Harum unam ille et alteram adducit.*

Lectiones vero plerumque propriæ ac singulares, crebro cum Pscittha non consentiunt, ad Vaticanum Codicem sæpe accedunt, aliquando Cantabrigensi astipulantur, a Vulgata haud raro aut procul distant, in plurimis vero suffragantes habent Origenem, Chrysostomum, aliosque antiquissimos auctores; ex quo colligitur ab anteriore prorsusque diverso fonte τῆς Pscittha manasse. In hoc autem sententiæ Adleri [1] libenter suffragamur, qui sane ejusdem pretium tantum esse existimat, ut *nævi omnes laudem ejus detrectare vix queant, et nesciat an ullus probatissimorum Codicum Græcorum palmam ei præripiat.*

V.

De Versione nostra

Codicis versionem aggressus, ne laboriosum opus optato fructu destitueretur, maximam fidelitatem servandam putavi, totoque animi proposito ac summa vi, de elegantia parum sollicitus, aptiore quo potue-

[1] L. c. p. 157. 201.

rim modo, proprietatem peregrini idiomatis exprimere, et germanam Aramaicæ veritatis imaginem exhibere enixe curavi.

